

3 1761 06891455 5



THE WORKS
OF
ROBERT SANDERSON, D. D.

SOMETIME

BISHOP OF LINCOLN,

NOW FIRST COLLECTED BY

WILLIAM JACOBSON, D. D.

REGIUS PROFESSOR OF DIVINITY

AND

CANON OF CHRIST CHURCH.

IN SIX VOLUMES.

VOL. VI.

O X F O R D,

AT THE UNIVERSITY PRESS.

M.DCCC.LIV.

الله رب العالمين

~~2-96~~

LOGICAE ARTIS COMPENDIUM.

SECUNDA HAC EDITIONE RECOGNITUM,
DUPLICI APPENDICE AUCTUM, ET PUBLICI JURIS FACTUM.

A ROB. SANDERSON,
COLLEGII LINCOLNIENSIS IN ALMA OXONIENSI SOCIO.



O X O N I I,
EXCUDEBANT JOHANNES LICHFIELD ET JACOBUS SHORT.
M. DC. XVIII.

The First Edition of Sanderson's Logic appeared in 1615, without the Author's name :

' Logicae Artis Compendium. In quo Universae artis Synopsis, methodo ac forma ad Scholarum usum, quam fieri potuit, accommodatissima breviter proponitur. In privatam nonnullorum gratiam et utilitatem tantisper editum, dum ad pleniora maturuerint. Oxonii, Excudebat Josephus Barnesius. 1615.'

The following 'Admonitio ad Lectorem' was prefixed to the work in the First Edition :

Compendio Appendicem adjectam voluimus, de Usu Logicae, quinque capitibus comprehensam ; quorum futurum erat,

- i. De Tractatione simplicis Thematis, sive de Genesi Thematica.
- ii. De Tractatione Problematis solitaria, sive de Genesi Problematica : ubi et de Thesibus, quas vulgo suppositiones vocant, concinnandis, et Quaestionibus colligendis consilium.
- iii. De Tractatione Problematis sociali, sive de Disputatione : ubi de officio Opponentis et Respondentis fortassis non prorsus inutilia.
- iv. De Constitutione integrae alicujus Disciplinae, sive de Genesi Methodica.
- v. De Analysis, sive Resolutione tractatorum abs aliis.

Quin et Synopsin totius Artis Logicae Graecam Latino huic Compendio comitem dedisse, id quoque destinavimus animo : ut esset ad manum, unde Definitiones, Divisiones, et Praecepta magis necessaria, sicubi usus foret, depromerent istarum rerum et literarum studiosi. Sed dum haec ipsa, quae jam sunt oculis et censurae tuae subjecta, benevole Lector, tumultuario nimium opere commentamur, Ecce, novis objicimur occupationibus, quae sic operam nostram postularunt omnem, ut vix utcunque ista, reliqua omnino non licuerit absolvere. Atqui non erant fraudandi interea, dum reliqua parantur, ii, quorum in gratiam et utilitatem hoc quidquid est operis susceptum est, eo fructu quem percepturi inde videbantur, ut non magnum, certe, ut spero, nec poenitendum. Propterea passus sum ista hoc tempore prodire in lucem ; Appendicem et Graeca passurus fortassis suo ; vel certe juvenibus, quorum utilitati unice consultum eo, privatim communicaturus. Tu istis, bone Lector, pro tuo arbitrio fruere, vel, si mavis, neglige, hoc an illud feceris, aequre placitus mihi. Vale.

ELENCHUS CAPITUM.

LIB. I.

DE SIMPLICIBUS TERMINIS.

Cap.		Pag.
I.	PRAECOGNITA de Natura Logicae	1
II.	De Praedicabilibus in genere	3
III.	De Genere, Specie, et Individuo	5
IV.	De Differentia	8
V.	De Proprio et Accidente	9
VI.	De tribus Definitionibus Antepraedicamentibus	11
VII.	De Reliquis Antepraedicamentis	14
VIII.	De Praedicamentis in genere	16
IX.	De Praedicamento Substantiae	17
X.	De Praedicamento Quantitatis	19
XI.	De Praedicamento Qualitatis	21
XII.	De Praedicamento Relationis	24
XIII.	De Praedicamentis Actionis et Passionis	26
XIV.	De Quatuor ultimis Praedicamentis	28
XV.	De Oppositis	31
XVI.	De reliquis Post-praedicamentis	33
XVII.	De Definitione	35
XVIII.	De Divisione	38
XIX.	De Identitate et Diversitate	39

LIB. II.

DE PROPOSITIONIBUS.

	Pag.
I. De Propositionis partibus	42
II. De Suppositione Terminorum	46
III. De Ampliatione et Restrictione	49
IV. De Divisionibus Propositionis	51
V. De Oppositione Propositionum Categoriarum de Inesse	55
VI. De Aequipollentia earundem	58
VII. De Conversione earundem	59
VIII. De Modalibus	61
IX. De Exponibilibus	64
X. De Hypotheticis	66

LIB. III.

DE DISCURSU.

I. De Argumentatione	69
II. De Partibus Syllogismi	70
III. De Fundamento Formae Syllogisticae	72
IV. De Tribus Syllogismorum Figuris	75
V. De Reductione Syllogismorum	77
VI. De Inventione Medii termini	80
VII. De Syllogismis quibusdam specialibus	82
VIII. De Enthymemate et Sorite	84
IX. De Syllogismo Hypothetico	86
X. De Inductione et Exemplo	87
XI. De Fine et Praecognitis Demonstrationis	88
XII. De Conditionibus propositionum Demonstrationis ab-solutis	91
XIII. De Conditionibus propositionum Relatis	94
XIV. De Demonstrationis variis gradibus	95
XV. De Demonstratione διότι	98
XVI. De Demonstratione potissima	99
XVII. De Syllogismo Topico in genere	102
XVIII. De Locis Topicis in genere	104

ELENCHUS CAPITUM.

7

	Pag.
XIX. De Locis a Causa et Effectu	105
XX. De Locis a Subjecto et Accidente	107
XXI. De Locis a Dissentaneis et Comparatis	109
XXII. De Locis a Conjugatis et Notatione	113
XXIII. De Locis a Toto et Parte	114
XXIV. De Locis a Genere et Specie	115
XXV. De Locis a Definitione et Divisione	116
XXVI. De Loco a Testimonio	117
XXVII. De Fallaciis in genere	119
XXVIII. De Fallaciis in Dictione	120
XXIX. De Fallacia extra Dictionem	122
XXX. De Methodis in genere	125
XXXI. De Methodis in specie	127

APPENDIX PRIMA.


DE USU LOGICAE.

I. De Tractatione Simplicis Thematis	131
II. De Tractatione Problematis Solitaria	140
III. De Disputatione	151
IV. De Genesi Methodica	164
V. De Analysi Logica	168

APPENDIX POSTERIOR.

MISCELLA.

I. De Quinque Habitibus Mentis	175
II. De Circulo Disciplinarum	181
III. De Colligendis Locis communibus	185
IV. De Historia Logicae.	189



LOGICAE ARTIS COMPENDIUM.

LIBER PRIMUS.

DE SIMPLICIBUS TERMINIS.

CAP. I.

Praecognita de Natura Logicae.

LOGICA, quae et syncdochice Dialectica, est Ars Rationis : sive,* est Ars instrumentalis dirigens mentem nostram in cognitionem† omnium intelligibilium. Ideoque debet esse omnium Disciplinarum prima, utpote ad reliquas acquirendas necessaria, qua ratione Aristoteli, velut instrumentum Philosophiae et reliquarum disciplinarum, **Οργανον* appellatur.

Utilitates ejus sunt plurimae,‡ quas docebit usus ; Finis vero unicus, Cognitio scilicet rerum : Officia, quibus, velut mediis, Finis et Officia Logicae. Finem suum consequitur, quum alia nonnulla, tum praesertim gicae. tria haec :

1. Definitio	{ quoties res oc- currunt	Obscurae.
2. Divisio		Universae.
3. Ratiocinatio		Dubiae.

Objectum Logicae, primario, est Mens humana ;§ unde et Logicae nomen, velut ἀπὸ τοῦ λόγου, id est, ratione : secundario Objectum Logicae. etiam et Oratio, quae et ipsa λόγος dicta est, qua scilicet sensa mentis nostrae loquendo exprimimus.

Materia circa quam versatur || est omne illud, sive Ens, sive non Ens, quod vel mente complecti, vel oratione eloqui possumus. Ratio autem formalis considerandi est secunda intentio.

* ‘est Ars—sive’ added in the Second Ed.

† More correctly, as in Keckermann and Aldrich, ‘in cognitione.’

‡ In the First Ed. ‘Finis ejus unicus est, Cognitio scilicet rerum ; Utilitates vero multae, Officia, &c.’

§ ‘Mens humana.’ The First Ed. subjoins: ‘in qua expolienda et dirigenda tota versatur : dicta propterea Platonii Ars Rationis, et nomen passim sortita Logicae, velut, &c.’

|| In the First Ed. ‘versatur est τὰς νοητόν, omne illud quicquid id est, sive sit Ens, &c.’

Logicus enim considerat omnia themata, non secundum proprias ipsorum naturas, sed in quantum Logica instrumenta, quae sunt secundae notiones, sunt eis applicabilia. Hinc Logicae pro diversa ratione multiplex assignari potest subjectum.

Subjectum Logicae	Informationis,	Primario, Mens humana, sive Ratio.
	sive Objectum,*	
	est $\lambda\gamma\delta\omega\zeta$: id est,	Secundario, Oratio.
	Operationis, sive Subjectum materiale,† est Thema, seu Quaestio intelligibilis, $\pi\hat{\alpha}\nu\ \nu\eta\pi\tau\acute{o}\nu$.	
	Tractationis, sive Subjectum formale,‡	Totale et Adaequatum, est Secunda Intentio. Principale, est Syllogismus; vel etiam magis specialiter,§ Demonstratio.

§. 5. Logicae tres sunt partes, pro numero actuum mentis ab ea dirigibiliū; quarum prima dirigit primum actum Mentis, scilicet Conceptum simplicem: id est, agit de Simplicibus Terminis: quo pertinent Introductio Porphyriana, et liber Categoriarum Aristotelis.

Secunda dirigit secundum actum Mentis, scilicet Compositionem et Divisionem, et est de Propositione: quo spectat liber de Interpretatione.

Tertia dirigit tertium et ultimum Mentis actum, scilicet Discursum, et est de Argumentatione et Methodo: quo spectant Analyticorum Priorum libri duo, totidemque Posteriorum, octo Topicorum, Elenchorum demum duo.

Quaestiones Capitis Primi.

1. De Nomine Logicae et Dialecticae.
2. De Genere Logicae.||
3. De Definitione Logicae.¶
4. De Fine Logicae.
5. De variis Logicae Utilitatibus.
6. De necessitate Logicae, ejusque ordine ad reliquias Disciplinas.
7. De Objecto Logicae.

* 'sive Objectum.' Not in the First Ed.

† 'sive Subjectum materiale.' Not in the First Ed.

‡ 'sive Subjectum formale.' Not in the First Ed.

§ In the First Ed. 'specialius.'

|| In the First Ed. 'De Genere Logicae; an sit Ars?'

¶ Questions 3, 5, and 9 were added in the Second Edition.

8. De Subjecto Logicae.
9. De primis et secundis Intentionibus.
10. De differentia Logicae a cognatis Disciplinis, praesertim Rhetorica.
11. De variis Logicae divisionibus.
12. De Logica docente et utente.*

CAP. II.

De Praedicabilibus in genere.

LIBELLUS Porphyrianus Isagoge dicitur, sive Introductio; ^{§. 1.} Scopus li- quia est quaedam quasi porticus et vestibulum Logicae Aristotelicae: ejus praecipue partis, quae in libro Categoriarum con- bellii Por- tinetur: quo nomine et ab auctore opus susceptum est in gratiam Chrysaorii discipuli sui. Ejus Subjectum est Praedi- cabile.

Est autem Praedicabile, sive Universale, quod aptum na- ^{§. 2.} tum est praedicari de pluribus. Ut Animal, Homo, Rationale, ^{Definitio} Praedica- Risibile, Album. Idem sunt reipsa Praedicabile et Uni- bilis. versale; sed differunt ratione; nam Praedicabile dicitur, quatenus de multis praedicatur; Universale vero quatenus inest in multis.

Praedicabilia sunt quinque, quae et quinque Voces appellan- ^{§. 3.} lantur; scilicet Genus, Species, Differentia, Accidens proprium, ^{Numerus} Praedica- quod simpliciter Proprium, et Accidens commune, quod ^{bilium.} simpliciter Accidens, dici solet. Horum Genus et Species in *Quid*; Differentia in *Quale quid*; Proprium et Accidens in *Quale*; sed Proprium conversim et necessario, Accidens contingenter et non conversim praedicantur.

Cognitio Praedicabilium, et consequenter Introductio Por- ^{§. 4.} phyriana, conducit ad quatuor, scilicet ad ^{Utilitas} Praedica-

i. Definitionem, quae semper est Speciei, constatque, si sit ^{bilium.} propria et essentialis, ex Genere et Differentia; sin improoria et descriptiva, ex Genere et Proprio, vel cumulo Acci- dentium.

* [Logicam] quam Latini *docen-*
tem, Graeci *sejunctam* a rebus vo-
cant; quam Latini *utentem* seu in
usu positam, Graeci rebus seu phi-
losophiae applicatam appellant.—
Zabarella, de Natura Logicae, i. 5.

These two last Questions stood

thus in the First Edition:

9. De Partitione Logicae secun- dum triplicem actum mentis.
10. De praestantia Logicae Peri- pateticae supra Lullisticam et Rameam.

2. Divisionem, quae plerumque est Generis in suas Species per oppositas Differentias, aut Propria: non raro Subjecti in Accidentia, aut e contra.

3. Demonstrationem, quae est Syllogismus necessarius, cuius majus extremum est Proprium, minus extremum Species, Mediūs vero Terminus Definitio Speciei essentialis ex Genere constans et Differentia.

4. Praedicamenta, quae non sunt aliud quam coordinatio Generum et Specierum in directa, et Differentiarum in serie collateralī.*

Praedicatio omnis aut est	Naturalis sive directa; ea que vel	Aequalis, quum aequale praedicatur de aequali: ut Rationale vel Risibile de Homine.
	aut Non naturalis, ea que vel	Inaequalis, quum vel superius praedicatur de inferiore univoce, † vel accidens commune de suo subjecto denominative: ut Animal vel Album de Homine. Indirecta, et contra naturam, quum aut inferius de superiore praedicatur, aut Subjectum de Accidente: ut Homo de Animali vel Albo. Per accidens, et praeter naturam, quum e duobus Accidentibus eidem communi Subjecto inherenteribus, alterum de altero praedicatur: ut hoc Album de hoc Dulci.

Ea solum Praedicatio est hujus loci, et proprie Logica, quae directa est et naturalis.

Quaestiones Capitis Secundi.

1. De Libello Porphyriano.
2. De Definitione Praedicabilis et Universalis. ‡
3. Sintne Universalia in rerum natura, vel in solo intellectu?

* 'in serie collateralī.' In the First Edition this Chapter ended with these words.

† 'univoce'—'denominative.' See below, p. 13.

‡ In the First Edition,

2. De Definitione Praedicabilis.

3. De discrimine Praedicabilis et Universalis.
4. An Universalia sint in rerum natura, vel in solo intellectu?
5. An Universalia sint corporea vel incorporea?
6. An dentur Universalia existentia extra Singulare?

4. Sintne corporea vel incorporea?
5. Existantne extra Singularia?
6. De Numero Praedicabilium.
7. De quadruplici utilitate Praedicabilium.
8. De variis Praedicandi generibus.*

CAP. III.

De Genere, Specie, et Individuo.

GENERIS, inter alia significata, tres sunt acceptiones, quarum ut nobiliorum meminit Porphyrius: duae Civiles, tertia Logica.†

Genus in acceptione	Prima, est collectio multorum hominum, qui ad unum aliquem velut principium relati, cognatione quadam inter se sunt affecti; quo sensu posteri Herculis genus dicuntur Heraclidarum.	§. 1. Tres acceptiones Generis.
	Secunda est ortus uniuscun- jusque Prin- cipium, sive sit	Generans, ut pater et majores: quo modo Tantalus dicitur genus ducere a Jove. Conservans, ut locus et patria: quo modo Plato dicitur genere Atheniensis.
	Tertia, quae sola est Logica (sic dictum‡ ob similitudinem quam habet cum genere civili, praesertim in secunda acceptione) id est, cui subjicitur Species: ut Animal, cui subjicitur Homo.	§. 2. Definitio Generis.

Genus Logicum est, quod praedicatur de pluribus differentibus Specie *in quid*: ut Animal de homine et bove. Dicuntur autem ea differre Specie, quae habent diversas differentias constituentes; ut homo et bos; § praedicari vero *in quid* ea, quae apte respondent quaestioni *qua quid sit res quaeritur*.|| Ut si quaeratur, *quid sit homo, aut bos?* apte respondetur, quod sint Animalia.

* This eighth Question was added in the Second Edition.

† In the First Edition. ‘**GENERIS** nomen est aequivocum, multis habens significationes, praecipue vero tres; quarum duae sunt Civiles, tertia sola Logica.’ In the Second Edition this opening sentence is omitted.

‡ ‘dictum,’ in the First Edition, ‘appellata.’

§ ‘ut homo et bos.’ These words were inserted in the Third Edition.

|| ‘ea, quae—quaeritur.’ In the First and Second Editions, ‘est apte respondere quaestioni factae per quid.’

§. 3.
Acceptio-
nes et De-
finitiones
Speciei.

Species Civilis inter alia sua significata accipitur pro externa forma aut pulchritudine corporis: unde hominem pulchrum et formosum, speciosum dicimus.

Species Logica
considerata
respectu

{ Superiorum, et ut Subjicibilis, definitur esse id quod subjicitur Generi; atque iterum, id cui Genus attribuitur in quaestione quid est? Intellige utrobique Immediate.
Inferiorum, et ut Praedicabilis, est quod praedicatur immediate de pluribus differentibus numero tantum *in quid*: ut Homo, de Socrate et Platone.

Dicuntur autem ea differre numero,* quae diversum numerum efficiunt, ut Socrates, Plato, &c.

§. 4.
Generalis-
sima Speci-
alia, et
Subalterna.

Genera generalissima, sive summa, sunt quibus non datur superius Genus; vel, quae sunt ita Genera, ut nunquam possint esse Species: ut Substantia. Species specialissimae, sive infimae, sunt quibus non datur Species inferior; vel, quae ita sunt Species, ut nunquam possint esse Genera: ut Homo. Subalterna Genera, sive Species Subalternae, sunt, quae ad aliud et aliud relata, simul et Genera sunt et Species: ut Animal, Vivens, Corpus.

§. 5.
Canones
Generis et
Speciei.

1. Genus omne est latius qualibet sui Specie.
2. Genus habet rationem partis et incompleti, Species totius et completi; Genus Materiae, Differentia Formae, Species Compositi.
3. Genus et Species praedicantur aequaliter de suis inferioribus.
4. Tota natura Generis continetur in qualibet sui Specie,† et Speciei in quolibet Individuo.
5. Genera summa sunt tantum decem: Species infimae sunt in aliquo certo, sed nobis incognito numero.

§. 6.
Definitio
Individui.

Individuum est quod de uno solo praedicatur, ut Socrates. Habet et haec vox alias suas acceptiones; sed hic sumitur pro Ente singulari, ita determinato et restricto ut sit prorsus indivisible in inferiora.

* ‘Dicuntur—numero.’ In the First and Second Editions, ‘Ea autem differunt numero.’

† ‘continetur—Specie.’ In the First Edition, ‘potest conservari in unica Specie.’

Individuum aliud est

Certum et determinatum,
quod exprimitur vel per

Nomen proprium: ut Socrates, Bucephalus; et dicitur Individuum Signatum, sive Determinatum.

Nomen commune et Pronomen demonstrativum: ut hic Homo, ille Equus; et dicitur Individuum Demonstrativum.

Circumlocutionem aliquam, quae fit etiam multis modis: ut Sophronisci filius pro Socrate; Orator pro Cicerone, &c. Et dicitur Individuum ex Hypothesi, vel Periphrasticum.

Vagum et indeterminatum, quod exprimitur per Nomen commune, et Signum particulare: ut, aliquis Homo, quidam Equus.

Individua sunt numero infinito et vario;* ideoque nec scientiam cadere possunt. Individua ejusdem Speciei distinguuntur inter se proprietatibus quibusdam accidentalibus, quarum collectio in duobus nunquam potest esse eadem.

§. 7.
Individui
acceptiones.

Quaestiones Capitis Tertii.

1. De acceptioribus Generis et Speciei.
2. De prima Definitione Generis.
3. De secunda Definitione Generis.
4. De Definitionibus Speciei subjicibilis.
5. De tertia Definitione Speciei.
6. De Arbore Porphyriana.
7. De conservatione Generis et Speciei in suis inferioribus.
8. De Individui Definitione.
9. De Individui diversis Modis.
10. De principio Individuationis.
11. De numero Generum, Specierum, et Individuorum.†
12. De Collatione Generis cum reliquis Praedicabilibus.
13. De Collatione Speciei.

* ‘Individua — vario.’ In the First Edition, ‘Individuorum numerus est infinitus et varius.’

† Questions 11, 12, 13, do not appear in the First or Second Edition.

CAP. IV.

De Differentia.

§. 1.
Acceptio-
nes Diffe-
rentiae.

Differentia tri-
bus modis di-
citur :

COMMUNITER, qua res ab aliis, vel etiam a seipsis, differunt Accidente aliquo separabili: ut Socrates stans a Platone sedente, et Socrates senex a Socrate puer.

Proprie, quia res ab aliis differunt Accidente aliquo inseparabili: ut Socrates a Platone per nasi aduncitatem.

Maxime proprie, qua res inter se Forma essentiali differunt: ut Socrates a Bucephalo per Rationis facultatem.

Ex his Differentia Communis est separabilis, reliquae inseparabiles: Communis facit alteratum; Propria alterum; Maxime Propria aliud. Illae* sunt differentiae per accidens, haec est per se: illae recipiunt magis et minus, haec non. Illae ad duo ultima Praedicabilia pertinent, haec sola constituit tertium Praedicabile.

§. 2.
Definitio-
nes Diffe-
rentiae.

Quinque sunt apud Porphyrium Differentiae Definitiones.

1. Differentia est, qua Species superat Genus: ut per Rationale Homo superat Animal.

2. Differentia est apta nata praedicari de pluribus differentibus Specie, vel numero tantum, *in quale quid*. Ea autem dicuntur praedicari *in quale quid*, quae apte respondent quaectioni, qua, qualis sit res secundum essentiam, quaeritur: † ut si quaeratur qualis sit Homo secundum essentiam? apte respondetur, quod Rationalis.

3. Differentia est, quae vim habet dividendi, id est separandi et distinguendi, ea quae sunt sub eodem Genere: ut Rationale dividit Hominem a Bruto.

4. Differentia est, qua res inter se differunt.

5. Differentia est, qua res ita inter se differunt ut ad constituendam rei essentiam plurimum conferat, sitque ejus pars. Quanquam haec non tam nova Definitio censenda est, quam

* 'Illae.' In some of the latest Editions, 'Istae.'

† 'Ea autem—quaeritur.' In the First and Second Editions, 'Est autem praedicari *in quale quid*, apte respondere quaestioni factae per quale essentiale.'

explicatio quaedam et absolutio superioris. Ex his quinque Definitionibus sola secunda competit Differentiae, quatenus est Praedicabile.

Differentia consideratur vel ut est† { Divisiva Generis, quatenus* dividit Genus in suas Species : ut Rationale Animal. §. 3. Divisiones Differen-
tiae.
Constitutiva Speciei, quatenus constituit Spe- ciem in suo esse : ut Rationale Hominem.

Haec divisio est ejusdem rei in diversos tantum modos ; eadem enim Differentia perpetuo est et Divisiva, et Constitutiva, diverso tamen respectu.

Differentia Constituti- va alia est { Generica, quae constituit Speciem Subalter- nam : ut, Sensibile Animal.
Specificia, quae constituit Speciem Infimam : ut, Rationale Hominem.

Quaestiones Capitis Quarti.

1. De tribus acceptationibus Differentiae.
2. De prima Definitione Differentiae.
3. De secunda Definitione Differentiae.
4. De reliquis Definitionibus Differentiae.
5. De Divisionibus Differentiae.
6. De Collatione Differentiae cum reliquis Praedicabilibus.‡

CAP. V.

De Proprio et Accidente.

PROPRIUM dicitur quatuor Modis.

Proprium primo Modo est, quod convenit soli, non omni : ut Homini mederi. §. 1. Quatuor Modi Proprii.

Proprium secundo Modo est, quod convenit omni, non soli : ut Homini bipedem esse. Et iste Modus est omnium maxime impro prius.§

Proprium tertio Modo est, quod convenit omni, et soli, sed non semper : ut Homini canescere in senectute. Etsi accurate loquendo, non detur aliquod hoc modo Proprium ; quod enim omni convenit, id et semper conveniat necesse est.

* ‘quatenus.’ In the First and Second Editions, ‘quae.’ Third Edition.

† ‘Differentia—ut est.’ In the First and Second Editions, ‘Diffe-§ ‘Et iste—improprius’ inserted in the Third Edition.

rentia vel est.’ || ‘Etsi—necessere est’ inserted in the Second Edition.

‡ Question 6 was added in the

Proprium quarto Modo, quod solum constituit quartum Praedicabile,* est, quod convenit omni, soli, et semper: ut Homini Risibilitas. In istis descriptionibus *ly*† Soli refertur ad Speciem; *ly* Omni ad inferiora Speciei.

§. 2.
Canones
Proprii
quarto
Modo.

1. Proprium fluit‡ a principiis essentialibus Speciei, ut Risibilitas a Rationalitate. Hinc Proprium dicitur ad rei essentiam pertinere, non ut constituens, sed ut consequens essentiam.

2. Proprium etsi realiter idem, formaliter tamen differt a sua Specie.

3. Proprium reciprocatur cum Specie, et proinde est et inseparabile a sua Specie, et incommunicabile alteri.

4. Proprium aliud est { Genericum, quod fluens a principiis Speciei Subalternae cum ea reciprocatur: ut Mobile cum Corpore.
Specificum, quod fluens a principiis Speciei infimae cum ea reciprocatur: ut Risibile cum Homine.

§. 3.
Accidentia
Definitio-
nes.

Accidentis tres Definitiones tradit Porphyrius.

1. Accidens est, quod adest et abest sine Subjecti interitu: ut Albedo. Est autem Subjectum illa Substantia cui inhaeret Accidens, et quae illud sustentat: ut Cygnus.

2. Accidens est, quod contingit eidem inesse, et non inesse.

3. Accidens est, quod nec est Genus, nec Species, nec Differentia, nec Proprium, semperque in re aliqua subjecta inhaeret: unde illud, ‘Accidentis esse est inesse.’

§. 4.
Divisiones
Accidentis.

Idem Accidens numero non potest esse in diversis Subjectis, sive simul, sive successive. §

Accidens aliud est { Separabile, quod etiam actu potest separari a suo Subjecto: ut frigus ab aqua.
Inseparabile, quod non nisi intellectu separari potest: ut humor ab aqua.

* ‘quod solum—Praedicabile’ inserted in the Second Edition.

† ‘*ly*,’ the ancient form of the French article *le*. Sanderson has used it in De Conscientia, Prael. viii. § II. The First Edition has ‘τὸ Σολι,’ ‘τὸ Ομνί.’

‡ i. ‘Proprium fluit &c.’ The First and Second Editions prefix ‘De Proprio quarto modo observen-

tur ista.’

§ Compare Keckermann, System. Logic. p. 182. Accidens unum numero non potest esse in diversis numero Subjectis—and p. 72. Utile est omnino Accidentium ideas discernere ab Accidentibus hujus vel illius Subjecti . . . Scholasticorum Canon hoc pertinet: ‘Accidentia numerantur ad numerum Subjectorum.’

Accidentia nonnulla certum Subjectum aut consignificant, et Copulata dicuntur, ut Semietas; aut supponunt, et Propria dicuntur, primo scilicet modo, ut Grammatica. Quorum ista Propria sunt certae alicujus Speciei, illa certae alicujus partis.*

Quaestiones Capitis Quinti.

1. De tribus primis Modis Proprii.
2. De Definitione Proprii quarto Modo.
3. De fluxu Proprii a principiis Speciei.
4. De reciprocatione Proprii et Speciei.
5. De formalis diversitate Proprii et sua Speciei.
6. De variis acceptionibus Accidentis.†
7. De Accidentis Definitionibus.
8. De Inhaerentia Accidentis.
9. De unitate Subjecti Accidentis.
10. De Accidente separabili et inseparabili.
11. De aliis divisionibus Accidentis.
12. De Collatione Proprii cum reliquis Praedicabilibus.
13. De Collatione Accidentis.

CAP. VI.

De tribus Definitionibus Antepraedicamentibus.

ANTEPRAEDICAMENTUM est doctrina praeambula immediate §. 1. conducens ad doctrinam Praedicamentorum. Sunt autem Antepraedicamenta in Genere tria, in Specie septem. Tres scilicet in genere. Definitiones, duae Divisiones, duae item Regulæ.

Definitiones‡ sunt Aequivocorum, Univocorum, et Denominativorum.

* ‘Accidentia — alicujus partis.’ This whole paragraph was added in the Second Edition.

† Instead of Question 6—13 the First Edition has :

6 ‘De prima et secunda Accidentis Definitione.

7 ‘De tertia Accidentis Definitione.

8 ‘De Divisione Accidentis.

9. ‘De Unitate Subjecti Accidentis.’ In the Second Edition :

8. De unitate Subjecti Accidentis.

9. De Accidente separabili et inseparabili.

10. De aliis divisionibus Accidentis.

‡ ‘Definitiones, &c.’ The First and Second Editions prefix, ‘De utraque observentur ista.’

§. 2.
Prima Defi-
nitio, Ae-
quivoco-
rum. Aequivoca aequivocata sunt quorum nomen solum est com-
mune, ratio autem Substantiae, id est, essentialis Definitio, se-
cundum illud nomen alia atque alia: ut Animalis nomen com-
mune est homini vivo et picto; sed diversa est Definitio utri-
usque. Aequivocum aequivocans est Nomen illud commune,
quod suis significatis secundum diversas rationes attribuitur:
ut Gallus est Aequivocum aequivocans; Gallus homo, et gallus
avis Aequivoca aequivocata.

§. 3.
Divisio Ae-
quivoco-
rum.

Aequivoca
alia sunt

A casu, de quibus nulla dari potest ratio, cur
in eodem communi nomine convenient: ut
Gallus homo et avis; et haec sunt propri-
issime Aequivoca.

A consilio, de quibus assignari potest aliqua
ratio dependentiae vel similitudinis, cur
convenient in nomine: ut homo vivus et
pictus, quae Aequivoca ad unum, aut per
Synecdochen* Analogia quandoque appellan-
turi.

§. 4.
Canones
Aequivoco-
rum.

1. Aequivoca,† ante factam distinctionem, nec definiri pos-
sunt, nec sub scientiam cadere.

2. Ens respectu decem Praedicamentorum est Commune
Analogum.

3. Analogum per se positum praesumitur stare pro famo-
siori Analogato.

§. 5.
Seconda
Definitio,
Univoco-
rum.

Univoca univocata sunt quorum et nomen commune est, et
ratio Substantiae secundum illud nomen eadem: ut Animalis
et nomen et definitio communis est Homini, et Equo, et Leoni.
Univocum univocans est Nomen illud commune quod secundum
eandem rationem multis attribuitur: ut Animal Homini, Bovi,
Leoni. Aequivocis † aliquando opponuntur Multivoca; Uni-
vocis Diversivoca.

§. 6.
Tertia, De-
nominati-
vorum.

Denominativa (ut vulgo dici solent, rectius fortasse Denomi-
nata dicenda) sunt, quae solo casu, hoc est terminazione vocis,
ab aliquo differentia, habent ab eo nominis appellationem: ut
a Justitia Justus.

* ‘aut per—quandoque.’ In the First Edition, ‘sive Analogia com-
muniter.’ In the Second, ‘et per.’

† ‘i. Aequivoca, &c.’ The First

and Second Editions prefix, ‘De
utroque observentur ista.’

† ‘Aequivocis — Diversivoca.’
Added in the Third Edition.

In omni Denominatione sunt tria, scilicet,

In omni Denominatione sunt tria, scilicet,	Forma Denominans ; et est Accidens abstractum inhaerens Subjecto : ut Justitia. Subjectum Denominatum ; et est Substantia cui Forma inhaeret : ut Socrates. Denominativum, et est Accidens concretum, quod de Subjecto praedicatur, et a Forma oritur : ut Justus.
--	--

Denominans et Denominativum, ut Justitia et Justus.

Quantum* ad

Quantum* ad	Vocem Significati- onem	Conveniunt in Principio. Differunt in Fine. Conveniunt in re significata. Differunt in modo significandi.
-------------	----------------------------	--

Usus harum Definitionum est, ut discernatur triplex forma Praedicationis ; Aequivocae scilicet, Univocae, et Denominativa. §. 7. Triplex forma Praedicationis.

Praedicari

Praedicari	Aequivoce, est praedicari secundum Nomen et non secundum Definitionem : quomodo Ens praedicatur de decem Praedicamentis. Univoce, est praedicari secundum utrumque : quomodo superiora praedicantur de inferioribus ejusdem Praedicamenti. Denominative, est praedicari in concreto ad modum Accidentis de Subjecto : quomodo Accidentia in novem ultimis Praedicamentis praedicantur de Substantiis in primo.
------------	--

Quaestiones Capitis Sexti.

1. De Antepraedicamentis in genere.
2. De prima Definitione, viz. Aequivocorum.†
3. De secunda Definitione, viz. Univocorum.
4. De tertia Definitione, viz. Denominativorum.
5. An Ens sit Analogum ad decem Praedicamenta ?
6. De Multivocis, et Diversivocis.‡
7. De triplici forma Praedicationis.

* The First Edition has, explanation in Questions 2, 3,
 Ex parte

Vocis Signifi- cationis	Conveniunt, &c. Differunt, &c.	and 4, was added in the Second Edition.
----------------------------	-----------------------------------	---

† Quaest. 6 was added in the Second, Quaest. 7 in the Third Edition.

‡ ‘Viz. Aequivocorum.’ This

CAP. VII.

De reliquis Antepraedicamentis.

§. 1. Duae sunt Divisiones: eorum quae dicuntur, hoc est Vocabulum, Prior Divisione una; altera eorum quae sunt, id est Rerum.

Vocabulum aliae sunt	Complexae, quae dicuntur cum conjunctione: ut Socrates currit, Plato legit.* Incomplexae, quae dicuntur sine conjunctione; ut Socrates, currit, legit.†
----------------------	--

Complexio et incomplexio, si spectentur quoad vocem, vox incomplexa erit, quae est unica tantum dictio; complexa, quae plures. Sin quoad rem ipsam et conceptum intellectus in re fundatum, vox incomplexa erit, cui respondet in intellectu conceptus simplex; complexa, cui complexus.

Hinc fit, ut voces sint aliae	<table border="0"> <tr> <td style="vertical-align: top; padding-right: 10px;">Partim complexae, partim incomplexae; et sunt vel</td> <td style="vertical-align: top;"> Simpliciter incomplexae, quando simplici dictioni simplex conceptus respondet: ut Homo, Animal. Simpliciter complexae, quando pluribus dictionibus respondet in intellectu conceptus complexus; ut Homo est Animal. </td> </tr> <tr> <td style="vertical-align: top; padding-right: 10px;"></td> <td style="vertical-align: top;"> Incomplexae voce, et complexae re: quando simplici dictioni respondet in intellectu conceptus complexus: ut Pluit. Complexae voce, et incomplexae re: quando pluribus dictionibus respondet in intellectu conceptus simplex: ut Corpus Animatum. </td> </tr> </table>	Partim complexae, partim incomplexae; et sunt vel	Simpliciter incomplexae, quando simplici dictioni simplex conceptus respondet: ut Homo, Animal. Simpliciter complexae, quando pluribus dictionibus respondet in intellectu conceptus complexus; ut Homo est Animal.		Incomplexae voce, et complexae re: quando simplici dictioni respondet in intellectu conceptus complexus: ut Pluit. Complexae voce, et incomplexae re: quando pluribus dictionibus respondet in intellectu conceptus simplex: ut Corpus Animatum.
Partim complexae, partim incomplexae; et sunt vel	Simpliciter incomplexae, quando simplici dictioni simplex conceptus respondet: ut Homo, Animal. Simpliciter complexae, quando pluribus dictionibus respondet in intellectu conceptus complexus; ut Homo est Animal.				
	Incomplexae voce, et complexae re: quando simplici dictioni respondet in intellectu conceptus complexus: ut Pluit. Complexae voce, et incomplexae re: quando pluribus dictionibus respondet in intellectu conceptus simplex: ut Corpus Animatum.				

§. 2.
Secunda
Divisio-
Rerum.

Res aliae sunt Universales, aliae, Singulares; quarum Universales dicuntur de Subjecto, Singulares vero non. Aliae rursus Substantiae, aliae Accidentia; quorum Accidentia insunt in Subjecto, Substantiae vero non. Ex horum complexione oritur quadrimembris Divisio Rerum ista.

* ‘Plato legit.’ Added in the Third Edition.

† ‘legit.’ Added in the Third Edition.

Eorum, quae sunt, quae-dam	Dicuntur de Subjecto, et non insunt in Subjecto, et sunt Substantiae Universales : ut Animal.
	Insunt in, et non dicuntur de, et sunt Acciden-tia Singularia : ut hoc Album.
	Et insunt in, et dicuntur de, et sunt Acciden-tia Universalia : ut Album.
	Nec insunt in, nec dicuntur de, et sunt Sub-stantiae Singulares : ut Socrates.

Multi sunt modi inessendi, de quibus versiculi :

Insunt Pars, Totum, Genus et Species, Calor igni,
Rex in regno, Res in fine, locoque locatum.

§. 3.
Inesse in et
dici de Sub-
jecto.

Sed illud solum dicitur inesse in Subjecto, quod ad praesens negotium pertinet, quod inest alicui non tanquam pars, nec potest separatum ab eo cui inest subsistere.

Subjectum est duplex ; a-liud	Praedicationis, sive <i>de quo</i> : quod subjicitur superiori in praedicatione univoca, ut Socrates homini : quale intelligitur in <i>ly</i> * Dici de subjecto.
	Inhaesionis, sive <i>in quo</i> : quod subjicitur Accidenti in praedicatione denominativa, ut Socrates Albedini : quale intelligitur in <i>ly</i> Inesse in Subjecto.†

Quando alterum de altero tanquam de Subjecto praedicatur, directe et affirmative, quidquid praedicatur per se et directe de Praedicato, praedicatur etiam de Subjecto : ut quia Animal praedicatur de homine, etiam Corpus, quod de animali praedicatur, de homine praedicatur.‡ Est autem directa Praedicatio, quoties superius praedicatur de inferiore, aut aequale de aequali ; Praedicatio vero per se, quoties Praedicatum est unum ex quatuor prioribus Praedicabilibus, aut ex eis conflatum.

§. 4.
Regula Pri-
ma : κατὰ
βάθος.

* ‘*ly*.’ So, in this place, in the First Edition. See above, p. 10.

† So in the first Six Editions, with the exception of the First, which has, ‘Praedicationis, quod subjicitur et subordinatur, &c.’ ‘Inhaesionis, quod subjicitur Accidenti et sustentat illud ; ut, &c.’

In the later Books, ‘Praedicationis, sive de quo : quod subjicitur in

Praedicatione : ut Socrates est homo : Socrates ibi subjicitur homini : quale intelligitur in *ly* Dici de subjecto.’

‘Inhaesionis, sive in quo : quod subjicitur Accidenti ; sive, cui Accidens inhaeret, ut Socrati albedo : quale intelligitur in *ly* Inesse in Subjecto.’

‡ ‘praedicatur.’ In the First and Second Editions ‘praedicabitur.’

Usus Regulae est, tum ut ostendatur ordo, qui est inter superiora et inferiora ejusdem Praedicamenti: tum ut possimus* quamlibet rem propositam expeditius certiusque ad proprium suum Praedicamentum referre.

§. 5.
Regula Secunda; κατὰ πλάνος. Diversorum Generum non subalternatim positorum diversae sunt Species et Differentiae: ut Animalis, et Scientiae. Genera dicuntur subalternatim poni, quorum unum essentialiter continetur sub altero: ut Animal, et Corpus: non subalternatim vero, quorum neutrum sub altero essentialiter continetur: ut Animal et Scientia. De his expresse datur Regula, non de illis; nihil enim impedit illorum easdem esse Species et Differentias, ut Animalis, et Corporis. Usus Regulae potissimum est ad vitandam confusionem Praedicamentorum, et ad distinguendum inter se res diversorum Praedicamentorum.

Quaestiones Capitis Septimi.

1. De Divisione Vocabulorum.
2. De Divisione Rerum.
3. De modis Inessendi.
4. De priore Regula.
5. De posteriore Regula.

CAP. VIII.

De Praedicamentis in Genere.

§. 1.
Numerus et Definitio Praedicamentorum. 1. PRAEDICAMENTUM est Generum, Specierum, et Individuum, secundum sub et supra series ordinata. Suntque ea numero totidem quot Genera summa, a quibus singulis singula appellationem suam sunt sortita: scilicet Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs, Habitus. Singulorum exempla disticho comprehenderunt,

1	2	3	4	5	6
Arbor Sex Servos Fervore Refrigerat Ustos.					
7	8	9	10		
Ruri Cras Stabo, nec Tunicatus ero.					

§. 2.
Quae in eis collocentur, et quae finitae naturae. In aliqua istarum Classium quidquid uspiam rerum est collocantur, modo sit unum quid, reale, completum, limitataeque ac finitae naturae. Exsulant ergo his sedibus Intentiones sequuntur.

* ‘tum ut possimus—referre,’ added in the Third Edition.

cundae, Privationes et Ficta, quia non sunt realia; Concreta, Aequivoca, et Complexa, quia non sunt una; Pars, quia non est completum quid; Deus, quia non est finitae; Transcendens, quia non est limitatae naturae. Hinc versiculi;

Complexum, Consignificans, Privatio, Fictum,
Pars, Deus, Aequivocum, Transcendens, Ens rationis;
Sunt exclusa decem classibus ista novem.

Ita tamen ut istorum plurima, analogice, vel reductive, vel per accidens, ad Praedicamenta pertinere aliquando possint.

Quaestiones Capitis Octavi.

1. An Praedicamenta sint Logiae Considerationis, et quomodo?
2. De libro Categoriarum Aristotelis.*
3. De Nomine et Definitione Praedicamenti.
4. De Numero Praedicamentorum.
5. An omne Ens sit in Praedicamento?
6. De Vocibus Complexis.
7. De Vocibus Concretis.
8. De Privationibus.
9. De fictis rebus.
10. De partibus rerum.
11. De Deo Optimo Maximo.
12. De Aequivocis et Analogis.
13. De Transcendentibus.
14. De Entibus Rationis.
15. De Individuis et Differentiis.†
16. An idem possit esse in diversis Praedicamentis?

CAP. IX.

De Praedicamento Substantiae.

SUBSTANTIA est Ens per se subsistens; estque omni Accidente prior ordine, natura, et cognitione; eique substans

§. I.
Definitio et
Divisio Sub-
stantiae.

* Questions 2 and 3 were added in the Third Edition.

† Instead of this, the First Edition has: An 'Individua sint in Prae-

dicamentis?' followed in the First and Second Editions by 'An Differ-entiae sint in Praedicamentis?'

sustentando ipsum.* Substantia Prima est vel Secunda. Prima, sive singularis et individua, est, quae neque de Subjecto aliquo dicitur, neque alicui Subjecto inest, ut Socrates, hic Homo. Secundae sunt primarum Species, et Specierum Genera, usque ad ipsam Substantiam summum Genus, ut Homo, Animal, &c.

§. 2.
Comparatio
rum.

Substantiarum Prima est magis Substantia, hoc est, perfectior, quam Secunda, quia pluribus substata. Secundarum vero Species, in quantum vicinior Primae quam Genus; et simpli- citer omnia inferiora superioribus. Positis Primis Substantiis, ponuntur reliqua omnia, cum Secundae Substantiae, tum etiam Accidentia: unde illud vulgatum, ‘Nato Socrate nascuntur omnia Praedicamenta;’ et iis sublati nihil aliorum potest remanere: non Secundae Substantiae, quia illarum est dici de Primis; nec etiam Accidentia, quia illorum est inesse in Primis.

§. 3.
Proprietati-
es Sub-
stantiae.

Proprietates Substantiae Aristoteli sunt sex.

1. Substantia non inest in Subjecto. Hoc convenit omni Substantiae: non completae modo, sed et Differentiis etiam, ac partibus Substantiarum; eique soli.

2. Substantia praedicatur univoce de iis de quibus praedicatur. Hoc convenit omnibus et solis Secundis Substantiis, ea- rumque Differentiis; nam a Prima Substantia nulla sumitur Praedicatio.

3. Omnis Substantia videtur significare hoc aliquid, id est, rem singularem.† Sed, revera, hoc soli Primae convenit; quum Secundae potius, propter differentias, *quale quid* signi- ficent, seu naturam universalem.‡

4. Substantiae nihil contrariatur. Nec enim Substantia Substantiae contraria est, nisi gratia Qualitatum, nec Accidens Substantiae.

5. Substantia non suscepit magis et minus. Hoc ut superius, convenit omni, non soli.

6. Substantia, quod est ei maxime proprium, eadem numero manens est capax contrariorum, ut aqua caloris et frigoris.

In hoc Praedicamento reponuntur.

§. 4.
Quae res
huc per-
neant.

1. Omnes Spiritus incorporei: ut Angeli, Daemones, Anima.

2. Corpora Coelestia: ut Orbis, Stellae.

* ‘sustentando ipsum.’ In the in the Third Edition.

First Ed. ‘et sustentat.’ † ‘seu naturam universalem’

† ‘id est, rem singularem,’ added added in the Third Edition.

3. Quatuor Elementa : ut Ignis, Aër, Aqua, Terra.
4. Imperfecte mista : ut Vapor, Grando, Pluvia, Fulgur.*
5. Metalla : ut Aurum, Aes,† Plumbum.
6. Mineralia reliqua : ut Lapidès, Gemmae, Sal, Bitumen.‡
7. Plantae : Herbae scilicet Frutices, et Arbores :§ ut Lac-tuca, Rosa, Quercus.
8. Plantarum flores et fructus, ut Hyacinthus, Lilium, Glans, Pyrum.
9. Animalia : ut Homo, Leo, Aquila, Cancer, Vipera.

Quaestiones Capitis Noni.

1. De Ordine Substantiae.
2. De Divisione Substantiae in Primam et Secundam.
3. De Comparatione Substantiarum inter se.
4. An sublatis Primis Substantiis reliqua tollantur omnia ?
5. De prima Proprietate Substantiae.
6. De secunda Proprietate.
7. De tertia Proprietate.
8. De quarta Proprietate.
9. De quinta Proprietate.
10. De sexta Proprietate.
11. De Tabula Praedicamenti Substantiae, et de rebus eo pertinentibus.||

CAP. X.

De Praedicamento Quantitatis.

QUANTITAS est mensura Substantiae, secundum quam quanti dicimus. Ea continua est, aut discreta. Continua Quantitas est, cujus partes inter se communi aliquo termino copulantur. Ejus species sunt Linea, Superficies, Corpus; et ex veterum sententia, Locus, et Tempus.

Linea est magnitudo longa sine latitudine et profunditate; cujus communis terminus est Punctum. Superficies est magnitudo longa et lata sine profunditate; cujus communis terminus

§. 1.
Quantitatis
Definitio et
Divisio.

* 'Fulgur,' added in the Third Edition.

† 'Aes,' inserted in the Third Edition.

‡ 'Sal, Bitumen,' added in the Third Edition.

§ 'Plantae—Glans, Pyrum.' The First and Second Editions have only

'Plantae, ut herbae, flores, frutices, arbores.'

|| Question 11 does not appear in the First or Second Edition.

est Linea. Corpus est ipsa tria dimensio, sive magnitudo longa, lata, et profunda; cuius communis terminus est Superficies. Temporis terminus est Instans, sive ipsum Nunc: Loci idem qui et Corporis, nempe Superficies.

Discreta Quantitas est, cujus partes nullo communi termino copulantur. Estque Numerus, et, secundum Veteres, Oratio. Numerus est multitudo ex unitatibus conflata: Unitas est principium Numeri. Oratio est mensura syllabae longae et brevis.

§. 2.
Quantitatis
Divisio alia. Quantitatum aliae constant ex partibus habentibus positionem inter se, aliae ex non habentibus. In illis sunt Linea, Superficies, Corpus, Locus: in ipsis Numerus, Tempus, et Oratio. Ut enim partes alicujus Quantitatis habeant inter se positionem, duo requiruntur, continuitas scilicet partium, et earundem permanentia. Continuitas deest in partibus Numeri; permanentia in partibus Temporis; utraque in partibus Orationis.

Proprietates Quantitatis sunt tres.

1. Quantitati nihil est contrarium: convenit omni, non soli.
2. Quantitas non recipit magis et minus: convenit omni, non soli.
3. Secundum Quantitatem res dicuntur aequales vel inaequales. Et hoc est Quantitati maxime proprium, eique soli convenit.

Huc pertinent omnes species

- §. 3.**
Quae res
huc perti-
neant.
1. Linearum :
 2. Superficierum : $\left\{ \begin{array}{l} \text{Ut} \\ \text{Triangulum.} \end{array} \right\}$
 3. Corporum :
 4. Numerorum : ut Par, Ternarius.*
 5. Ponderum : ut As, Uncia, Libra.
 6. Mensurarum: earumque, aut Linearum et Superficierum; ut Cubitus, Stadium, Milliare, Jugerum: aut Solidorum; ut Pinta, Quarta, Modius, Dolium.
 7. Nummorum : ut Sestertius, Mina, Talentum.

Quaestiones Capitis Decimi.

1. De ordine Quantitatis et reliquorum novem Praedicamentorum.†

* In the First and Second Editions, ‘Ternarius: analogice etiam Mensurarum Species, ut Cubitus, Dolium; et Ponderum, ut As, Un-

cia, Libra.’ And with these words the chapter ended.

† ‘et reliquorum—Praedicamentorum,’ added in the Second Ed.

2. De Definitione Quantitatis.
3. De duabus Divisionibus Quantitatis.
4. De Linea, Superficie, et Corpore.
5. De Numero.
6. De Loco, Tempore, et Oratione.
7. De prima et secunda Proprietate Quantitatis.
8. De tertia Proprietate Quantitatis.
9. De rebus pertinentibus ad Praedicamentum Quantitatis.*

CAP. XI.

De Praedicamento Qualitatis.

QUALITAS est forma accidentalis, a qua Substantia denominatur Qualis: ut Albedo. Quale est, quod a Qualitate denominative dicitur: ut Album. Qualitatis Praedicamentum omnium copiosissimum est; sed omnis illa varietas ad quatuor genera reducitur ab Aristotele: scilicet, Habitum et Dispositionem; Naturalem Potentiam, et Impotentiam; Qualitatem Patibilem, et Passionem; Formam, et Figuram.

Habitus est Qualitas acquisita, vel divinitus infusa, per quam Subjectum fit habilius ad edendas aliquas operationes, ad quas edendas per naturam minus est habile: † ut Grammatica. Haec si firmius radicetur in Subjecto, ita ut non sit facile mobilis, ‡ proprie Habitus; sin levius, et ita ut sit facile mobilis, Dispositio potius appellatur; quae est quasi Habitus quidam inchoatus, Habitumque perfectum praecedens, velut gradus ad eum.

Huc pertinent,

1. Omnes Habitus Corporis: ut Sanitas, Robur, Morbus, Morborumque species, ut Febris, Hydrops.
2. Habitus infusi mentibus Angelicis vel Humanis: ut Fides, || Charitas, Donum Linguarum.

3. Disciplinae omnes, caeterique Habitus Mentis acquisiti: ¶ sive Scientiae sint, ut Physica, Geometria; sive Sapientiae, ut

* This Ninth Question was added in the Third Edition.

† ‘minus est habile.’ In the First and Second Editions, ‘habilis non est.’

‡ ‘mobilis.’ In the First Edition, ‘amotivus.’

§ ‘Morborumque.’ In the First and Second Editions, ‘Morbique.’

¶ ‘ut Fides.’ In the First Edition, ‘ut Gratia.’

|| ‘caeterique—acquisiti,’ inserted in the Third Edition.

Metaphysica ; sive Intelligentiae Principiorum, speculativorum aut practicorum ; sive Prudentiae, ut Ethica, Politica,* Theologia ; sive Artes proprie dictae,† ut Logica, Pictura, Medicina.

4. Habitus omnes‡ Morales ; sive Virtutes sint, ut Justitia, Liberalitas ; sive sint aduersa Vitia, ut Injustitia, Prodigalitas.

5. Omnim prae predictorum initia incompleta.

§. 4.
Secunda
Species
Qualitatis.

Potentia Naturalis est Qualitas a Natura insita, per quam Subjectum aptum est ad aliquid agendum, vel ad resistendum : ut Risibilitas, Docilitas. Impotentia vero, per quam Subjectum aptum est ad aliquid patiendum ; ad agendum vero vel resistendum impotens et ineptum : ut Sterilitas, Stupiditas. Potentiae nomen plerumque activam potentiam denotat, Impotentiae passivam.

Huc pertinent omnes

§. 5.
Quae res
huc perte-
nant.

1. Facultates Substantiarum, ab essentialibus ipsarum formis profluentes : ut Facultas volendi, loquendi, ridendi in homine ; hinniendi et currendi in equo.

2. Vires Herbarum, Metallorum, Lapidum.

3. Occulta Qualitates Corporum, et omnia ista stupenda Naturae miracula :§ ut Sympathia, Antipathia.

4. Influentiae, si quae sint, Corporum Coelestium.

5. Dispositiones temperamentorum et organorum Corporis : ut nativa Sanitas, Valetudo, Robur, &c.

6. Vires animi, prout sequuntur temperamentum Corporis :|| ut Ingenium, Docilitas, Stupiditas, &c.¶

§. 6.
Tertia Spe-
cies Quali-
tatis.

Patibilis Qualitas est ea quae efficit passionem in sensibus, ut Calor. Quae, si constans sit et permanens in Subjecto, Patibilis Qualitas est proprie ; et denominat Subjectum simpliciter quale ; sin a subita aliqua animi commotione aut passione ita repente oriatur, ut mox evanescat, Passio appellatur ; nec denominat Subjectum, nisi secundum quid, quale. Ut Rubedo et Pallor sunt patibiles Qualitates ; et ab his Socrates dicitur simpliciter rubicundus, vel pallidus : at Rubor ex verecundia, et a

* ‘Politica,’ inserted in the Third Edition.

† ‘proprie dictae,’ inserted in the Third Edition.

‡ ‘Habitus omnes—incompleta.’ In the First and Second Editions, ‘Virtutes demum et Vitia, ut Justi-

tia, Prodigalitas.’

§ ‘Corporum—miracula,’ inserted in the Third Edition.

|| ‘prout—corporis,’ inserted in the Third Edition.

¶ ‘&c.’ In the First and Second Editions, ‘et quae istis similia.’

timore Pallor Passiones sunt, a quibus Socrates rubescere magis, aut pallere dicitur, quam rubicundus esse, aut pallidus.

Huc pertinent omnia sensuum objecta :

1. Visus, Lumen et Colores : ut Splendor, Lux, Albedo, §. 7.
Quae res
huc perti-
neant.

Rubor.*

2. Tactus, Qualitates Tactiles : cum primae, Calor, Frigus, Humor, Siccitas, &c. ; tum secundae, ut Asperitas, Mollities, Gravitas, Densitas.†

3. Gustus, Sapores : ut Dulcedo, Amaror, Aciditas.‡

4. Olfactus, Odores : ut Fragrantia, Foetor.

5. Auditus, Soni :§ ut Tinnitus, Echo.

Quod vero aliqui Passiones animi huc referunt, non id recte fit ; siquidem illae potius ad Passionis Praedicamentum pertinent.

Figura est Quantitatum Mathematicarum in corpore dispositio : ut Rotunditas. Forma est lineamentorum et coloris in corpore dispositio : ut Pulchritudo, Menseitas.||

§. 8.
Quarta Spe-
cies Quali-
tatis.

Huc pertinent

1. Mathematicae Figurae : ut Rectitudo, Curvitas, Rotunditas.¶

§. 9.
Quae res
huc perti-
neant.

2. Pulchritudo omnis et Deformitas : ut Simietas, Venustas, Gibbositas.

3. Formae externae corporum naturalium : ut Quercus, Leonis, Hominis.

4. Formae** apparentes causatae ab Impressionibus Meteorologicis : ut forma Iridis, Parelia, Draconis volantis.

5. Formae artificiales introductae in materiam subjectam †† ab artifice : ut Forma Gladii, Serrae, Mensae, Statuae.

Proprietates Qualitatis sunt tres.

1. Qualitas Qualitati contrariatur : ut Calori Frigus. Id Proprietates Quali-
quod maxime cernitur in tertia Specie : in prima etiam ali- tatis.
quando : rarius in secunda et quarta.

§. 10.
Proprietates Quali-
tatis.

* ‘ut Splendor—Rubor.’ In the First and Second Editions, ‘ut Albedo’ only.

† ‘Gravitas, Densitas’ added in the Third Edition.

‡ ‘Aciditas,’ added in the Third Edition.

§ ‘Soni,’ &c. In the First Edition, ‘Soni, acuti, graves, &c.’

|| Mensalitas in the Latin Version

of Diogenes Laertius, vi. 53. See Le Clerc’s Logic, I. vi. 10.

¶ ‘Rotunditas.’ The First and Second Editions subjoin ‘Triangularitas.’

** ‘Formae, &c.’ This Fourth Division does not appear in the First or Second Edition.

†† ‘subjectam.’ In the First and Second Editions, ‘crassam.’

2. Qualitas recipit magis et minus. Neque hoc convenit omnibus Qualitatibus. Hae tamen duae Proprietates, primario et proprie, solis convenient Qualitatibus.

3. Secundum Qualitatem res dicuntur similes vel dissimiles. Et hoc est Qualitati maxime, et quarto modo proprium.

Quaestiones Capitis Undecimi.

1. De Definitione Qualitatis, et Qualis.
2. De Divisione Qualitatis.
3. De prima Specie Qualitatis, et rebus eo pertinentibus.
4. De secunda Specie.
5. De tertia Specie.
6. De quarta Specie.
7. De prima Proprietate Qualitatis.
8. De secunda Proprietate.
9. De tertia Proprietate.

CAP. XII.

De Praedicamento Relationis.

§. 1.
Relata secundum Dici.

VETERES Logici Relata definiebant esse ea, quae alterius esse dicuntur, aut alio quopiam modo ad aliud referuntur: ut Scientia et Scibile. Quae Definitio non solum* omnia Accidentia complectitur quibus respectus aliquis adhaeret, etiamsi alias sint absolutae naturae, et ad alia Praedicamenta pertineant, sed ipsas etiam Substantias, aut saltem Substantiarum partes: et solent appellari Relata secundum Dici. Istorum nonnulla possunt habere contrarium, et recipere magis et minus.

§. 2.
Relata secundum Esse.

Relata proprie dicta, et secundum Esse, quae sola sunt hujus Praedicamenti, sunt quorum totum esse est ad aliud: ut Pater, Filius. Omne Respectivum fundatur in aliquo Absoluto: scilicet vel Quantitate, ut Aequalitas; vel Qualitate, ut Similitudo; vel Actione, ut Paternitas; estque propterea omne Respectivum quovis Absoluto, et natura posterius, et dignitate.† In omni Relatione sunt duo Termini: ut Pater, et Filius, quorum alter Relatum, alter Correlatum dicitur.

* 'non solum' these words and
‘sed ipsas—partes,’ three lines lower
Edition.

† ‘estque—et dignitate’ inserted
down, were inserted in the Third Edition.

In plerisque Relationibus est aliquid*	Materiale, estque † subjectum, de quo alterutrum Relatorum in concreto praedicatur: ut Sophroniscus, qui est Pater; et Socrates, qui est Pater; et Socrates, qui est Filius.
	Formale, estque ipse respectus, qui est inter Subjecta Terminorum: ut Paternitas in Sophronisco, Filiatio in Socrate.

Relatorum tres sunt proprietates.

1. Relata dicuntur ad Convertentiam, ut Pater est Filii Proprietates Relato-
Pater, et Filius Patris Filius.

2. Relata sunt simul Natura. Posito proinde alterutro et alterum ponitur, et sublatu tollitur.

3. Relata sunt simul Cognitione. Cognito proinde alterutro cognoscitur alterum; idque eodem plane modo et mensura cognitionis, et ignorato ignoratur.

Relata alia sunt	Aequiparentiae, sive aequalis comparationis, quum uterque Terminorum est ejusdem nominis: ut Aequale, Simile, Frater, Amicus.
	Disquiparentiae, sive inaequalis comparationis, quum Terminii non sunt ejusdem nominis; ut Dominus et Servus.

Relatorum inaequalis comparationis Terminus ille, qui significat rem digniorem, et per modum praelationis, dicitur Relatum superpositionis, sive majoris comparationis: ut Dominus, Praeceptor, Pater; ille vero, qui significat rem minus dignam et per modum inferioritatis, dicitur Relatum suppositionis, sive minoris comparationis: ut Servus, Discipulus, Filius.‡

Ad Praedicamentum Relationis, omnium Praedicamentorum copiosissimum, § pertinent

§. 4.
Divisio Re-
latorum.

1. Omnes gradus, cum Consanguinitatis, ut Pater, Filius, neant. Quae res
Frater: tum Affinitatis, ut Gener, Socer, Noverca. huc perti-
neant.

2. Omnes modi Convenientiae et Discrepantiae: || ut Identitas, Aequalitas, Similitudo, Oppositio.

* 'In plerisque—aliquid.' Instead of this the First and Second Editions have only 'Relationis.'

† 'estque.' In the First and Second Editions, 'est.'

‡ 'Aequiparentiae—Filius.' The whole of this fourth paragraph was

added in the third Edition.

§ 'Ad Praedicamentum—copiosissimum.' In the first and Second Editions, 'Huc.'

|| 'Discrepantiae.' In the First and Second Editions, 'Disconvenientiae.'

3. Dispositionis et Ordinis species : ut Prioritas, Superioritas, Totalitas, Locatio, Tempestivitas, Causalitas, &c.*
4. Nomina Officiorum et Dignitatum : ut Rex, Imperator, Dominus, Episcopus, Praeceptor. Et his respondentia : ut Subditus, Exercitus, Servus, Grex, † Discipulus.
5. Conventiones, Contractus, et Societas, ‡ ut Conjugium, Testamentum, Foedus, Emptio. §
6. Signa omnia : sive sint naturalia ; sive ex instituto, vel divino vel humano : ut Limes, Baptismus, &c. ||

Quaestiones Capitis Duodecimi.

1. De Relatis secundum Dici.
2. De Definitione Relatorum secundum esse.
3. De Fundamento Relationis.
4. De Subjectis et Terminis Relationis.
5. De variis Relationis et Relatorum divisionibus. ¶
6. De prima Proprietate Relatorum.
7. De secunda Proprietate.
8. De tertia Proprietate.
9. De rebus pertinentibus ad Praedicamentum Relationis.

CAP. XIII.

De Praedicamentis Actionis et Passionis.

§. 1.
Definatio
Actionis.

ACTIO est secundum quam Agens dicitur formaliter agere in Passum ; sive est fluxus virium Agentis in Patiens. Omnis Actio est Substantiae : virtus autem in qua Substantia agit, est Qualitas : unde res dicitur agere effective ** a Forma Substantiali : Instrumentaliter, a Qualitate : Formaliter ab Actione.

§. 2.
Divisio Ac-
tionis.

Actio alia est Immanens, quae non causat aliquam realem mutationem in Passo : ut Intellectio, Visio : Transiens, quae realem mutationem in Passo efficit ; ut Calefactio, Sectio.

* ‘causalitas, &c.’ added in the Third Edition.

† ‘Imperator’ and ‘Episcopus,’ ‘Exercitus’ and ‘Grex’ were inserted in the Third Edition.

‡ ‘Conventiones—Societas.’ In the First and Second Editions, ‘Modi etiam Conventionis.’

§ ‘Emptio’ was added in the Third Edition.

|| In the First and Second Editions the Sixth Division stands thus, ‘et Signa omnia, ut Limes, Baptismus, et siqua sunt alia istis similia.’

¶ The fifth Question was inserted in the Third Edition.

** ‘effective.’ For this, the reading of the first six Editions, ‘principaliter’ was substituted in the later books.

Proprietates Actiones sunt tres.

§. 3.
Proprieta-
tes Actio-
nis.

1. Actio Actioni contrariatur.

2. Actiones recipiunt magis et minus.

Neutrum horum per se, sed gratia Qualitatum, in quarum virtute fit Actio : proinde haec non convenient omni Actioni.

3. Actio ex se infert Passionem. Et hoc est maxime proprium Actioni.

Huc pertinent omnes

• §. 4.
Quae res
huc perti-
neant.

1. Productionis species : ut Generatio, Creatio.

2. Motus, et Mutationes activae : ut Calefactio, Illuminatio,* neant.

Nutritio.

3. Operationes Metallorum, Lapidum, Plantarum : ut Purgatio,† Exsiccatio.

4. Operationes omnes animae : sive Vegetantis, ut accretio, expulsio, retentio : sive Sentientis, ut Visio, Tactio : sive Rationalis, ut Intellectio, Scriptio, Disputatio.

Et quae sunt his similia.

Passio est, secundum quam Patiens dicitur formaliter pati ab Agente : sive est effectus, et illatio, atque receptio quaedam Actionis. Sequitur omnis Passio rationem magis Patientis quam Agentis : hinc vulgatum, ‘Quicquid recipitur, recipitur ad modum recipientis,’ ut ab eadem actione Solis, liquevit cera, durescit lutum.

Passio alia est { Transmutativa, quando fit realis aliqua mutatio in Passo, et respondet Actioni transeunti. §. 6. Divisio Pas-
sionis.
Intentionalis, quae terminat Actionem sine mutatione reali, et respondet Actioni immamenti.

Proprietates Passionis sunt tres,

§. 7.
Proprieta-
tes Passio-
nis.

1. Passio Passioni contrariatur.

2. Passio recipit magis et minus. Hoc utrumque intelligendum, sicut in Actione est dictum.

3. Passio immediate, et per se infertur ex Actione. Et hoc est maxime proprium Passioni.

* In the First and Second Editions, these two Divisions formed one only : ‘Productionis Species et activae Mutationis, ut Generatio,

Calefactio, Illuminatio.’
† ‘ut Purgatio,’ &c. added in the Third Edition.

§. 8.
Quae res
huc perti-
neant.

- Huc pertinent omnes,
1. Species Productionis, Motus, vel Mutationis passivae : ut Generatio, Calefactio, Nutritio.
 2. Sensus omnes (est enim sentire quiddam pati, praesertim si spectetur impressio specierum); ut Visio.*
 3. Appetitus naturales : † ut Fames, Libido.
 4. Affectus animi : ‡ ut Timor, Spes, Verecundia.
- Defectus Passivi : ut Eclipsis, Afflictio, § Paroxysmus ; et ejus generis reliqua.

Quaestiones Capitis Decimiertii.

1. De Definitionibus Actionis et Passionis.||
2. De variis earum Distinctionibus, et Divisionibus.
3. De discrimine utriusque ad invicem.
4. De Subjecto utriusque.
5. De prima et secunda Proprietate Actionis et Passionis.
6. De tertia Proprietate utriusque.
7. An Passio sequatur magis rationem Patientis quam Agentis ?
8. De rebus pertinentibus ad Praedicamentum Actionis.
9. De rebus pertinentibus ad Praedicamentum Passionis.

CAP. XIV.

De quatuor ultimis Praedicamentis.

§. 1. In reliquis quatuor Praedicamentis quae sunt minus principia, continentur Entia quaedam concreta, non tamen ex Ente timorum Praedicamentorum.

In reliquis quatuor Praedicamentis quae sunt minus principia, continentur Entia quaedam concreta, non tamen ex Ente et Ente (quemadmodum concreta reliquorum Praedicamentorum, quae sunt proinde Entia per accidens simpliciter) : sed ex Ente et modo existendi, sive respectu circumstantiae alicujus extrinseco. Ea sunt quatuor ; Ubi, Quando, ¶ Situs, Habitus. Communia istis omnibus sunt, non habere contrarium, nec recipere magis et minus : licet Habitus propter accessum ad defini-

* In the First and Second Editions : ‘Sensus item omnes, si spectetur impressio specierum, ut Visio.’

† ‘naturales’ substituted for ‘in-super’ in the Third Edition.

‡ ‘Affectus animi.’ In the First and Second Editions, ‘Animi Affectiones.’

§ In the First and Second Editions, ‘Eclipsis, morborum passiones, Afflictio.’

|| Questions 1, 2, 8, 9, do not appear in the First or Second Edition.

¶ In the First Edition, ‘Quando, Ubi’—and this order is followed throughout the Chapter.

natum terminum, et recessum ab eo, aliquo modo, et improprie diei possit suscipere magis et minus.

Ubi est circumscrip^{tio} corporis locati a loci circumscriptione ^{§. 2.} procedens. Ubi non est ipse locus, sed esse in loco, ab eo immediate dependens; locus enim subjective est in corpore locante; Ubi vero in locato. Ejus proprium est accommodare locum ad personam, rem, vel factum.

Huc pertinent nomina oblique prolata.*

1. Regionum : ut Europaeus, in Graecia.
2. Urbium : ut Romae, Londini.
3. Partium Mundi : ut in coelo, in aëre, in Oriente.†
4. Partium Terrae : ut in agro, in horto.
5. Partium Urbis aut Domus : ut in foro, in vestibulo.
6. Quicquid in universum respondet quaestionibus Ubi, Unde, vel Quo : aut quoquo modo‡ connotat Circumstantiam Loci.

Quando est, quod ex adjacentia temporis in re temporali relinquitur. Quando non est ipsum Tempus, sed Esse in tempore, ab eo immediate dependens. Ejus proprium est accommodare tempus ad personam, rem, vel factum.

Tempus hic sumitur pro omni duratio-
ne; sive illa sit

- Major tempore, quae est vel
- Aeternitas ; mensura § rei neque initium habentis neque finem : qualis est Mundus ex opinione Philosophorum.
 - Sempiternitas ; mensura rei initium habentis cum tempore, non habiturae finem : qualis est Mundus secundum rei veritatem.
 - Aeviternitas ; mensura rei initium habentis in tempore, sed non habiturae finem : qualis est Anima Humana.
 - Ipsum tempus proprio dictum ; quae mensura est rei habentis principium et finem.
 - Instans, sive nunc ; quae mensura non est alienus rei, nisi in sola terminatione.

Huc pertinent, praesertim oblique prolatae,||

^{§. 5.}
Quae res

* ‘oblique prolata’ inserted in the Third Edition, when it would have been well to withdraw or modify ‘Europaeus.’

† ‘in Oriente’ added in the Third Edition.

‡ ‘quoquo modo’ inserted in the Third Edition.

§ In the First Edition, ‘Aeternitas, quae est mensura.’

|| ‘praesertim oblique prolatae’ inserted in the Third Edition.

pertineant
ad Quando.

1. Aetates hominum : ut in Infantia, in Senectute.*
 2. Epochae omnes : ut Olympias, Lustrum, Saeculum.
 3. Annus et ejus partes, partiumque partes : ut Autumnus, Mensis, Dies, Hora.
 4. Differentiae† omnes temporum secundum prius et posterius : ut heri, hodie, cras, nudiustertius.
 5. Quicquid in universum respondet quaestionibus Quando, vel Quamdiu, aut quoquo modo connotat circumstantiam Temporis.
- Situs.** Situs seu Positio est quaedam partium et generationis ordinatio, sive partium in generatione collocatio. Ad Situm omnem requiritur triplex habitudo, quae conjuncta constituit Situm, scilicet

- Habitu** {
 1. Partium alicujus Totius inter se.
 2. Partium alicujus Totius ad ipsum totum.
 3. Partium et Totius ad locum.
}

Non tamen omnis ordinatio partium Situs est, sed ea sola quam partes habent in toto per generationem. Ejus proprium est (ex omnibus accidentibus quae dicunt respectum extrinsecum) proxime assistere substantiae.

Quae res pertineant ad Situm.

Huc pertinent omnes Gestus, positionesque corporis, earumque species :‡ ut Recubatio, Statio, Sessio, Ambulatio, &c. quatenus scilicet non ipsas actiones significant, sed partium in toto et loco positionem seu ordinem.

Habitus.

Habitus est adjacentia corporis et eorum quae circa corpus sunt : per quam illud habere, haec haberi dicuntur. Corpus habens est Substantia ; Res habita fere est Forma artificialis de quarta specie Qualitatis. Applicatio hujus ad illud est Habitus hujus Praedicamenti. Ejus proprium est semper inesse in multis, in habente scilicet et habito, sed diversa ratione ; est enim in corpore habente, ut in Subjecto ; est in re habita, ut in Causa.

Quae res pertineant ad Habitum.

Huc pertinent omnia

1. Vestimentorum genera : sive Necessitatis causa induantur, ut calceatum esse, tunicatum esse ; sive Distinctionis, ut

* In the First and Second Editions, ‘ut infantia, senectus.’

† ‘Differentiae—et posterius,’ not in the First or Second Edition where

‘heri, cras,’ &c. immediately follow ‘dies, hora.’

‡ ‘earumque species’ inserted in the Second Edition.

annulatum esse,* trabeatum esse; sive solius Ornatus, ut loricatum, ephippiatum, fraenatum esse, &c.†

2. Possessionum; ut divitem esse, beneficiatum, praediatum, nummatum, &c. Et si qua sint his similia.

Quaestiones Capitis Decimiquarti.

1. De iis quae communia sunt quatuor ultimis Praedicationis.

2. De Praedicamento *Ubi*, et rebus eo pertinentibus.

3. De Praedicamento *Quando*.

4. De Praedicamento *Situs*.

5. De Praedicamento *Habitus*.

CAP. XV.

De Oppositis.

POSTPRAEDICAMENTUM est doctrinale supplementum ad vocum aliquot in doctrina Praedicamentorum subinde occurrentium explicationem nonnihil conduceens. Sunt autem apud Aristotelem Postpraedicamenta quinque; Oppositio, Prioritas, Simultas, Motus, Habere.

§. 1.

Postpraedicamenta in genere.

Oppositio est Repugnantia duorum Terminorum non se permittentium in eodem respectu ejusdem. Unum‡ uni tantum opponitur; ideoque Disparata, quorum utrumvis multis re-positionis. pugnat, non uni tantum: inter Opposita non numerantur.

§. 2.

Definitio et Divisio Op-

Oppositio alia est Entis cum	Ente { Non Ente {	Dependente; estque Relativa, omnium minima. Non dependente; estque Contraria. Secundum <i>quid</i> ; estque Privativa. Simpliciter; estque Contradictoria, omnium maxima.
------------------------------------	-------------------------	---

Oppositio Relativa est inter Terminos Relativos, Relatum scilicet et suum Correlatum. Relata enim quamvis dependeant a se mutuo, quantum ad esse simpliciter, tamen pugnant inter

§. 3.

Oppositio Relativa.

* In the First Edition, ‘ut mitratum esse, annulatum esse.’

Division, answering to ‘Possessio-num—nummatum, &c.’

† ‘&c.’ In the First and Second Editions, ‘et si qua sint his similia’ ending the Chapter, without any

‡ ‘Unum.’ Before this word, in some of the latest Editions, ‘Horum’ was inserted.

se quantum ad esse in Subjecto : ut Pater et Filius. Horum conditiones petendae sunt ex Praedicamento Relationis.

§. 4.
Definitio
Contrario-
rum.

Oppositio Contraria est inter Terminos contrarios. Sunt autem ea Contraria quae posita sub eodem genere maxime inter se distant, et vim habent expellendi se vicissim ex eodem Subjecto susceptibili : ut Calor et Frigus.

Contraria alia sunt	<p>Immediata, inter quae non intermediet aliquod tertium utriusque particeps, sive quorum alterum necesse est inesse Subjecto capaci : ut Par et Impar.</p> <p>Mediata, inter quae aliquid mediat, sive quorum utrumque abesse potest a Subjecto capaci : ut Album et Nigrum.</p>
---------------------	---

§. 5.
Canones
Contrario-
rum.

1. *Vera Contrarietas non reperitur nisi in Qualitatibus : scilicet per se ; nam et in aliis reperitur gratia Qualitatum.† Immo nec propriissime dicta nisi in Qualitatibus mutuo Activis et Passivis, quales sunt aliquae tertiae tantum Speciei.

2. Contraria non possunt esse simul in eodem Subjecto. Intellige in gradibus excellentibus : possunt enim esse simul in remissis.‡

3. Remisso altero Contrariorum, intenditur reliquum, et intenso remittitur.§ Necesse est enim expleri|| in omni Subjecto capaci totam possibilem latitudinem alterius e duobus contrariis.

§. 6.
Definitio
Privativo-
rum.

Oppositio Privativa est inter Habitum et Privationem. Est autem Habitus praesentia rei alicujus in Subjecto idoneo ; Privatio vero, absentia ejusdem, ut Visus est Habitus, Caecitas Privatio.¶

§. 7.
Canones
Privativo-
rum.

1. Habitum et Privatio habent fieri circa idem subjectum. Unde Privatio proprie non dicitur, nisi de Subjecto capaci ipsius Habitum : ut hominem recte coecum dicimus, lignum non item.

2. Privatio non tribuitur Subjecto nisi in tempore deter-

* In the First and Second Editions the fifth paragraph commences thus: 'De Contrariis observentur ista.'

† 'scilicet—Qualitatum' inserted in the Second Edition.

‡ In the First and Second Editions 'Contraria non possunt esse in eodem Subjecto in gradibus ex-

cellentibus. Possunt tamen in remissis.'

§ 'et intenso remittitur' inserted in the Second Edition.

|| 'expleri.' So in the First Edition. Afterwards, 'explicari.'

¶ In the First and Second Editions, 'De Privativis ista observentur.'

minato. Unde catulum ante nonum diem caecum non dicimus, nec infantulum calvum, aut edentulum.

3. A Privatione ad Habitum non datur regressus. Non naturaliter: non a Privatione perfecta. Ea autem est quae actum simul tollit, et principia proxima Habitus, nec relinquit in Subjecto nisi principia remota: ut Mors, Caecitas.

Oppositio Contradictoria est inter Terminos Contradictorios. §. 8.
Definitio
Contradi-
ctoriorum.
Sunt autem ea Contradictoria, quae habent se expresse ut Affirmatio et Negatio: ut Ens et non Ens, Homo et non Homo.*

1. Contradiccio est mensura omnis Oppositionis. Nam in Canones omni Oppositione virtualiter includitur Contradiccio; et eo major omnis censetur Repugnantia, quo magis accedit ad Contradictionem.

2. Inter Contradictoria non datur Medium, neque Abnegationis, sive Subjecti, (unde illud: ‘Alterum Contradictiorum verificatur de omni Ente et non Ente;’) neque Participationis, sive† Formae.

Quaestiones Capitis Decimiquinti.

1. De Postpraedicamentis in genere.
2. De Speciebus Oppositionis.
3. De Relative Oppositis.
4. De Contrarie Oppositis.
5. De Privative Oppositis.
6. De Contradictorie Oppositis.

CAP. XVI.

De reliquis Postpraedicamentis.

PRIUS aliud alio dicitur quinque modis, hoc versiculo comprehensis. §. 1.
Modi Prio-
ris.

Tempore, Natura, Prius Ordine, Causa et Honore.

Tempore prius est, quod est antiquius: ut Romulus Catone, et Pergamus Roma.

Natura prius est, quod non reciprocatur secundum existendi consequentiam: ut duo tribus, animal homine; et simpliciter omne superius inferiore.

* In the First and Second Editions, there follows here, ‘De Contradictoriis ista observentur.’

† ‘sive.’ In the First Edition, ‘et.’

Ordine prius est, quod doctrina praecedit, aut compositione: ut literae syllabis, elementa mistis; et simpliciter omne imperfectum, aut simplex, perfecto et composito.

Dignitate prius est, quod est praestantius: ut Rex subdito. Et hic est alienissimus modus.

Causalitate prius est, quod alterius causa est: ut rationale risibili, Sol lumine.

§. 2.
Modi Si-
mul.

Tot modis dicitur Posterius, quot Prius.

Simul ea di-
cuntur

Tempore, quorum productio est in eodem in-
stanti: ut Homo et Risibile. Secundario,
etiam ea quae existunt in aliquo eodem
tempore, ut Caesar et Pompeius.

Natura, quae ita convertuntur secundum ex-
istendi consecutionem, ut neutrum sit causa
alterius: ut Duplum et Dimidium; et om-
nia omnino relata.

Divisione, quae idem divisum immediate et
aequaliter con dividunt: ut Homo et Bos,
Rationale et Irrationale.

§. 3.
Species
Motus.

Motus reperitur in quatuor Praedicamentis: suntque ejus sex Species. In Substantia Generatio et Corruptio: in Quantitate Augmentatio et Diminutio: in Qualitate Alteratio: in Ubi Motus Localis, seu Latio.

Generatio et Motus a non esse Substantiae ad esse: Cor-
ruptio e contra, ab esse ad non esse. Augmentatio a minore
ad majorem Quantitatem: Diminutio, e contra, a majore ad
minorem. Alteratio a contraria ad contrariam Qualitatem:
Latio a loco ad locum.

Opponitur Motui Privative Quies, et Speciali Motui Speci-
alis Quies; Contrarie vero alias Motus. In Substantia quidem
generationi corruptio: in Quantitate auctioni diminutio: in
Qualitate calefactioni frigefactio &c.: in Ubi ascensui descen-
sus, &c.

§. 4.
Modi ha-
bendi.

Habere dicimur octo fere modis: 1º, ut Habitum et Affectum:
2º, ut Quantitatem: 3º, ut ea quae sunt circa corpus: 4º, ut
quae sunt in parte: 5º, ut partem: 6º, ut in vase aut loco:
7º, ut possessionem: 8º, et omnium impropriissime, ut uxorem.
Referuntur autem isti modi ad Praedicamenta: Primus Quali-
tatis: Secundus Quantitatis: tertius et quartus Habitus: quin-
tus Substantiae: sextus Ubi: septimus et octavus Relationis.

Quaestiones Capitis Decimiseptimi.

1. De quinque Modis Prioris.
2. De tribus Modis Simul.
3. De sex Speciebus Motus.
4. De octo Modis Habendi.

CAP. XVII.

De Definitione.

Ex Terminis Simplicibus Primis, qui in Praedicabilibus et ^{§. 1.} Praedicamentis continentur, alii oriuntur: Ortí proinde dicti, ^{Termini} orti a Pri- qui non nisi mediantibus primis concipiuntur. Explicari solent* mis. hoc in loco, et ante Terminos Ortos, a plerisque Neotericis Scriptoribus Logicis, alii nonnulli Simplices Termíni Extraprædicamentales; quorum videtur esse aliqua saltem præcognitio apprime necessaria ad universam Definiendi, Dividendi, et Argumentandi rationem. Cujusmodi sunt Causa, Effectus, Totum, Pars, Subjectum, Objectum, &c. Visum est tamen nobis consultius, praesertim Compendium scribentibus, istis Terminis explicandis non immorari: quum neque Aristoteles ejusque Interpretes in aliquo opere Logico de iis tractationem instituerint, neque sit ea tractatio proprie Logica, sed potius Metaphysica, et nos alibi in hoc ipso Compendio, partim in hoc capite, eoque quod proxime sequitur, partim in tractatu de Demonstratione, et in Topicis, omnes istos Terminos obiter explicamus: † ne quid studiosi desiderent quod sit e re sua. Termini Ortí sunt Definitio et Divisio præcipue: tum deinde, quae iis conjunctae sunt, Identitas et Diversitas; quorum Identitas cum Definitione, Diversitas cum Divisione conjungitur.

Definitio est Definiti, sive Nominis, sive Rei, explicatio. Non minis Definitio est quae Vocis significationem aliquo modo ^{§. 2.} Definitio Nominis. aperit: id quod fit duobus potissimum † modis.

Vel per { Dictionem aliquam notiorem: ut Machaera est gladius: Guerra est bellum.
Etymologiam, sive Nominis notationem: ut Fides est, quando fit quod dicitur: Solstitium est Solis statio.

* ‘Explicari solent—e re sua.’ All this was added in the Third Edition. Previously,—‘concipiuntur. Suntque illi Definitio &c.

† See below, Book iii. Chap. 14.

sq.

† ‘potissimum’ inserted in the Third Edition.

**§. 3.
Definitio
Essentialis.** Definitio Rei, perfecta et essentialis, quae absolute Definitio dicitur, est Oratio explicans quid sit res; sive est Definiti per Terminos essentiales explicatio: ut Homo est animal rationale. Est autem Definitum perpetuo Species: Termini vero essentiales Genus et Differentia; secundario etiam et Proprium, velut immediate fluens ab Essentia.

**§. 4.
Canones
Definitio-
nis.** 1. Definitio verbis, quam fieri potest, propriis, perspicuis, usitatis, et ab omni ambiguitate liberis, exprimatur. Vitiosae proinde sunt Definitiones in quibus dictiones occurruunt metaphoricae, obscurae, obsoletae, aut ambiguæ; si tamen res aliter commode explicari possit.*

2. Definitio nihil contineat superflui, ut quam imprimis brevitas commendat. Ita tamen brevitati studendum, ut interea

3. Definitioni nihil desit eorum, quae sunt necessaria ad plenam Definiti explicationem, ejusque ab aliis omnibus rebus distinctionem. E duobus enim, minus vitium est Superfluum, quam Diminutum.†

4. Definitio sit adaequata Definito. Vitiosa ergo est, si qua aut laxior conveniat aliis a Definito; aut angustior non conveniat omnibus sub Definito contentis.‡

**§. 5.
Modus in-
vestigandi
rerum De-
finitiones.** Genus proximum, sive Substantia definienda sit sive Accidens, ex Tabula§ proprii Praedicamenti petendum est. Substantiarum etiam Differentiis Tabula Substantiae sufficiet; quibus si, ut plerumque fit, Nomina desint, adhibenda sunt eorum loco Propria: ut ‘Equus est animal quadrupes, hinnibile.’ Accidentium vero Differentiae sumendae plerumque || ex horum aliquibus aut omnibus: scilicet Efficiente, Fine, Subjecto, Objecto. Est autem Efficiens, quod media actione aliquid efficit: Finis, cuius gratia aliquid fit: Subjectum, cui Accidens inhaeret: Objectum, circa quod aliquid versatur.¶ Accidentia itaque Propria definienda sunt per Subjectum adaequatum et Causam Efficientem: Potentiae per Subjectum, Efficientem, et Actum proprium, qui habet rationem Finis: Habitus per Finem, et Objectum: Actiones per Subjectum, Objectum, Efficientem, et Finem: Relationes per Subjectum, Terminum oppositum,

* ‘si tamen—possit’ added in the Third Edition.

† ‘Ita tamen—quam Diminutum’ added in the Second Edition.

‡ ‘contentis’ added in the Third Edition.

§ ‘Tabula.’ So in the first three

Editions: afterwards ‘Tabella.’

|| ‘plerumque.’ In the First and Second Editions, ‘perpetuo.’

¶ ‘Est autem — versatur.’ In Editions subsequent to the Second, this sentence is given in brackets with inverted commas.

qui habet rationem Objecti, Fundamentum, quod habet rationem Efficientis, et Finem. Et alia Accidentia similiter.

Definitio imperfecta, quae et Descriptio, est Definiti per terminos non essentiales explicatio. Fitque multis modis. §. 6.
Descripti-
onis Modi.

1. Per Causam Efficientem de effectu in abstracto praedicatam: ut Dolor est solutio continui.
2. Per Differentiam ad aliquod propinquum: ut Frui est uti cum voluptate.
3. Per Analogiam aut similitudinem translatam: ut Sol est mundi oculus.
4. Per remotionem Contrarii: ut Frigus est absentia caloris.
5. Per circumlocutionem a circumstantiis sumptam: qualis fere sunt poeticae locorum, rerum* aut personarum descriptiones. Sunt et alii modi, qui tamen ad horum aliquos non inepte reducantur, et sicut horum fortassis aliqui ad Definitionem Nominis.

Descriptionum usus, cum alias utilis, tum etiam saepe est necessarius. Quoties scilicet aut res explicandae occurront, quae non sunt capaces perfectarum Definitionum; qualia sunt Transcendentia, Genera generalissima, Entia Rationis, Singularia, &c; aut ipsi inopia laboramus aut verarum Differentiarum, aut verborum quibus eas exprimamus: quorum utrumque ex eo saepissime contingit, quod et rerum naturae atque essentiae sunt nobis plerumque parum satis cognitae; neque suppetunt usque dictiones exprimendis animi conceptionibus satis idoneae, praesertim in rebus extra usum quotidianum et forensem positis.†

Quaestiones Capitis Decimiseptimi.

1. De Terminis Extrapraedicalibus.‡
2. De Terminis Ortis.
3. De Definitione Nominis.
4. De Definitione Essentiali.‡
5. De Definitione Substantiarum.
6. De Definitione Accidentium.
7. De Descriptione.

* 'rerum.' In several of the later Editions, 'regum.'

† 'Descriptionum usus—forensem positis.' This entire paragraph was added in the Third Edition.

‡ Question 1 was inserted in the Third, Question 4 in the Second Edition.

CAP. XVIII.

De Divisione.

§. 1.
Distinctio
Vocis am-
biguae.

DIVISIO est latioris in angustiora diductio.* Quae si sit Nominis, Distinctio ; si Rei, Divisio magis proprie appellatur. Distinctio est ambiguae Vocis in sua significata distributio : ut Canis in pisces, domesticum animal, et coeleste sidus. Ambiguum omne prius est distinguendum quam definiendum, aut alio quovis modum tractandum ; Indistinctio enim parit continuas lites ; nec aliter constabit, quid, aut de quo agatur.† Nec tamen semper exutiendae sunt omnes significationum minutiae, sed quae sunt cum subjecto negotio conjunctae, aut in quibus error contingere potest, si non distinguantur.

§. 2.
Divisio per-
fecta.

Divisio rei perfecta est Totius alicujus proprie dicti in partes proprie dictas distributio.

Estque ea tri-
plex : scilicet

Totius Universalis in partes subjecibiles, ut Animalis in Hominem et Brutum ; et haec propriissime dicitur Divisio.
Totius Essentialis in partes Constitutivas, ut Hominis in corpus et animam ; et haec Resolutio non incommodo dici potest.
Totius Integralis in partes integrantes sive quantitativas, ut Corpus humanum in sua membra ; et haec Partitio dicitur.

Totum perpetuo dicitur Divisum : Partes in quas dividitur, Membra Dividentia.

§. 3.
Canones
Divisionis
perfectae.

1. Membra absorbeant Totum Divisum.
2. Divisum esto latius singulis suis membris ; adaequatum universis.

3. Membra condividentia sint contradistincta et opposita : ita ut confundi nequeant, vel coincidere.

4. Divisio fiat in membra proxima et immediata, et quam fieri commode potest, paucissima. A proximis porro ad remotiora et minutiora descendendum per subdivisiones.‡ Dicotomiae sunt laudatissimae, ubi commode haberi possunt : non

* ‘diductio.’ In Editions after the Third ‘deductio.’

† ‘agatur.’ In Editions subsequent to the Fifth, ‘agitur.’

‡ ‘A proximis — subdivisiones.’ Inserted in the Third Edition.

tamen nimium superstitiose et anxie ubique venandae; quod faciunt Ramaei.*

Divisio rei imperfecta est Totius improprii in partes improprias, vel Totius per Accidens in partes per Accidens distributio. Illo modo dividitur Species infima in individua, et Compositum inartificiale in suas partes. Hoc vero Subjectum in Accidentia, vel e contra: Effectus per suas Causas, vel e contra: Res denique omnes per Objecta, aut Circumstantias suas.

§. 4.
Divisio im-
perfecta.

Quaestiones Capitis Decimoctavi.

1. De Distinctione ambigui.
2. De Toto et Parte.†
3. De Divisione perfecta.
4. De Divisione imperfecta.
5. De Subdivisione.

CAP. XIX.

De Identitate et Diversitate.

DEFINITIONI conjuncta quodammodo est Identitas; Divisioni Diversitas. Est autem Identitas rerum convenientia, secundum quam aliqua quoquo modo dicuntur esse una et eadem. Diversitas vero rerum Distinctio, secundum quam aliqua quoquo modo dicuntur differre. Quot modis dicitur Idem, tot modis et Diversum: utrumque scilicet tribus, Genere, Specie, et Numero.

§. 1.
Identitas et
Diversitas.

Eadem sunt, quae sub aliquo eodem Genere continentur: sive proximo, et dicuntur eadem Genere Proximo, ut Homo et Brutum: sive Remoto, et dicuntur eadem Genere Simpliciter, ut Homo et Lapis: sive Analogo, et dicuntur eadem proportione, ut Pes et Columna.

§. 2.
Generica.

Genere Differunt, quae sub diversis Generibus, non subalternatim positis,‡ continentur. Sive ita, ut in nullo prorsus Genere eodem convenient, et dicuntur Toto Genere diversa, ut Homo, et Numerus: sive ita, ut in aliquo saltem remoto convenient, et dicuntur simpliciter Genera diversa, ut Homo et Lapis.

* 'Quod faciunt Ramaei' added in the Second Edition.

† In the First and Second Editions this stands fourth in order;

and the fifth Question does not appear at all.

‡ 'non subalternatim positis' inserted in the Third Edition.

Possunt ergo ea differre Genere proximo, quae sunt eadem Genere remoto; sed nec quae sunt eadem Genere proximo, possunt ullo Genere differre; nec ullo Genere esse eadem, quae differunt toto Genere.

§. 3.
Specificæ.

Specie	Eadem sunt, quae sub eadem infima Specie continentur: ut Socrates et Plato. Differunt, quae aut ipsae sunt infimae contradicuae Species, aut sub eis continentur: ut Homo et Equus, Socrates et Bucephalus.
--------	--

§. 4.
Numerica.

Numero eadem sunt, quae dicunt eandem rem singularem: differunt, quae diversum numerum constituant. Quorum utrumque tribus modis contingit, scilicet Realiter, Formaliter, et Ratione.

§. 5.
Realis.

Realiter eadem sunt, quae quum dicant eandem rem singularem, habent tamen diversos conceptus definitivos.*

Atque haec sunt du- plicia, vel	Per se, quando unum non potest esse sine altero absque contradictione: ut Homo et Risibilis; et dicuntur simpliciter Eadem Realiter. Per Accidens, quando habent se vel ut Subjectum et Accidens, ut Mel et Dulce, vel ut Accidentia ejusdem Subjecti, ut Flavum et Dulce in Melle; et dicuntur Eadem Subjecto.
---------------------------------------	---

Differunt vero Realiter, quorum unum potest esse sine alio absque contradictione; vel quae sunt in diversis Subjectis, aut diversa Subjecta.

§. 6.
Formalis.

Formaliter eadem sunt, quae habent eundem conceptum definitivum: differunt, quae diversos. Utrumque Adaequate, vel Inadaequate. Inadaequate ea simul et eadem sunt et differunt Formaliter, quorum unum includit conceptum alterius, et aliquid amplius, ut Homo et Animal: Adaequate et Formaliter eadem sunt, quae habent eundem omnino conceptum ex parte rei, ita ut sola evolutione Definitionis differant, ut Ensis et Gladius, Homo et Animal Rationale; et quaecunque in universum, aut sunt diversa nomina ejusdem significationis, aut se habent ut Definitio et Definitum. Adaequate et Formaliter differunt, quae habent conceptus omnino diversos, ita ut unum nihil includat alterius in primo modo dicendi per se: ut Homo et Risibile.

* ‘definitivos.’ In the later Editions ‘definitos.’

Ratione eadem sunt, quae habent conceptum omnino eundem ex parte intellectus, ut Homo est idem sibi ipsi; et universum quaecunque sunt in tertio modo dicendi per se. Ratione differunt, quae sola operatione Intellectus distinguuntur: ut in hac Propositione, 'Homo est Homo,' Termini differunt solum ex parte nostri Intellectus: hac ratione scilicet quod primum *ly** Homo est Subjectum, posterius Praedicatum.

§. 7.
Rationalis.

Identitati et Diversitati affines sunt Aequalitas et Inaequalitas, Similitudo etiam et Dissimilitudo. Aequalia sunt quorum Quantitas est eadem, ut decem et decem. Inaequalia sunt, quae differunt secundum majorem et minorem Quantitatem: ut quinque et decem. Similia sunt, quae convenient vel in Qualitate, vel in Actione aut Passione, aut Relatione consequente Qualitatem: ut Aethiops et Corvus. Dissimilia, quae in aliquo istorum distinguuntur, ut Cygnus et Corvus.

§. 8.

Aequalitas
et Simili-
tudo.

*Quaestiones Capitis Decimino*n*on*i*.*

1. De triplici Identitate et Diversitate.
2. De Identitate Reali.
3. De Identitate Formali.
4. De Identitate Rationis.
5. De Aequali et Inaequali.
6. De Simili et Dissimili.

* 'ly Homo.' In the First Edition 'τὸ Homo.' See above, p. 10.

LOGICAE ARTIS COMPENDIUM.

PARS SECUNDA.

CAP. I.

De Propositionis Partibus.

§. 1. **Interpreta-** SECUNDUM Mentis Actum dirigit ea Logicae Pars, quae
tionis Defi- de Propositionibus est : quam exsequitur* Aristoteles in Libro
nitio. de Interpretatione. Est autem Interpretatio, vox res ipsas et
animi conceptus de rebus significans ex instituto. Consequuntur enim se quatuor ista, idque hoc ordine : Res, Conceptus,
Voces, Literae. Quorum Res et Conceptus sunt a natura, et
proinde ubique eadem ; Voces vero et Literae ex institutione
humana ; et proinde non sunt ubique eadem, sed arbitriae,
et pro locorum et temporum varietate aliae atque aliae. Conceptus sunt signa sive notae Rerum, Voces Conceptuum, Literae
Vocum.

§. 2. **Nomen et** Interpretatio vel est Simplex, sive Pars Orationis ; vel Com-
Verbum. posita, sive Oratio. Partes Orationis sunt duae,† Nomen et
Verbum. Nomen est Interpretatio Simplex sine tempore : vel
pleniū, est Vox significativa ad placitum sine tempore, cuius
nulla pars separata aliquid significat, finita et recta : ut Homo.
Verbum est Interpretatio Simplex ad significans tempus : vel
pleniū, est Vox significativa‡ ad placitum cum tempore, cuius
nulla pars separata aliquid significat, finita et recta : ut Currit.
Est autem significare cum tempore, ultra§ principale Significa-

* ‘quam exsequitur.’ All the rest of this paragraph, beginning with these words, was added in the Third Edition. Previously, after the words ‘quae de Propositionibus est,’ there followed immediately, ‘Est autem Propositio, &c.,’ as in the 17th line of p. 43, to the end of the third paragraph.

† In the First and Second Editions: ‘Partes Propositionis sunt... Nomen est Vox significativa, &c.’

‡ In the First and Second Editions: ‘Verbum est Vox significativa, &c.’

§ ‘ultra.’ In the First Edition, ‘praeter.’

tum connotare etiam aliquod discrimen temporis, praesentis, scilicet, praeteriti, aut futuri. Logicis sola Nomina recti casus, Nomina, et Verba indicativi modi, Verba censemuntur: ut Socrates, Currit: reliqua Casus Nominum et Verborum appellantur: ut Socratis, Currere. Finita Nomina et Verba sunt, quae certum aliquod significant; et positive semper exprimuntur, ut Homo, Currit. Infinita, quae non; et exprimuntur Negative: ut Non homo, Non currit.

Interpretatio Composita,* sive Oratio, est Vox significativa ad placitum, cujus partes separatae aliquid significant: ut Homo Currit. Multae sunt Orationum species, quarum reliqua, quum inserviant potius interpretandis animi affectibus quam cognitioni, ad Rhetoricam magis proprie pertinent vel Poeticam. Ea sola Logica est, quae aliquid indicat esse, aut non esse: quam Pronunciatum, aut Effatum, aut Enunciationem, aut Axioma, aut alio aliquo nomine indigitarunt nonnulli: plerique Propositionem vocant. Est autem Propositio Oratio Indicativa, verum vel falsum significans sine ambiguitate. Ejus† aeternum et adaequatum *κριτήριον* est, verum vel falsum significare. Propositio cui Ambiguitas inest, sive ea Aequivocatio sit, in voce aliqua simplici, sive Amphibolia, in tota syntaxi, ante factam distinctionem non est una, sed plures.‡

§ Ad efficiendam Propositionem complexio Nominis et Verbi et absolute est necessaria, et omnino sufficit, ita ut nec sine istis duobus confici possit ulla Propositio, nec praeterea quidquam aliud requiratur. Unde ista duo solum proprie sunt partes Orationis Logicae; et dicuntur Categoremata, sive Termini, aut Partes Categoreticae: sive sunt Termini per se significativi, aptique de uno aut pluribus dici. Reperiuntur

* ‘Interpretatio Composita—plerique Propositionem vocant.’ Added in the Third Edition.

† ‘Eius.’ In the First and Second Editions, ‘Propositionis.’

‡ ‘sed plures.’ The First and Second Editions subjoin: ‘et proinde nec legitima.’

§ This paragraph was very much enlarged in the Second Edition. In the First it stood thus: ‘Sine complexione Nominis et Verbi non potest ulla fieri Propositio: proinde ista duo sunt simpliciter necessaria

ad Propositionem, et dicuntur Partes Categoreticae. Reperiuntur tamen in Propositionibus non raro praeter ista aliae etiam Voces, quae Partes Syncategoreticae appellantur, quibus sublati nihilominus integra constabit Propositio: quae tamen saepenumero permagni sunt momenti ad veritatem aut falsitatem Propositionis immutandam: qualia sunt Signa Quantitatum, Particula Negativa, quatuor principales Modi, &c.

Definitio
Propositio-
nis.

§. 4.
Partes Ora-
tionis Syn-
catego-
reticae.

tamen in Propositionibus non raro praeter Nomen et Verbum aliae etiam Voces, quae Syncategoremata appellantur, aut Termini Syncategorematici, qui nihil per se significant, nec dicuntur de aliquo, sed tantum Categorematicis adjumenti non-nihil afferunt ad certum Orationis sensum efficiendum. Cujusmodi sunt signa quantitatum, particula negativa, exclusiva, &c. His sublatis, nihilominus integra constabit Propositio: quare non sunt omnino magis dicendae partes Orationis, si proprii loqui velimus, quam claviculi et pix, quae adhibentur tantum ad lignorum et tabularum compagem, dici possunt domus aut navis partes. Etsi sint istorum Syncategorematum nonnulla permagni saepenumero momenti ad veritatem aut falsitatem Propositionis immutandam; et quaevis in iis vel levissima immutatio, sive ipsius termini, sive loci tantum, etiam ubi videri posset parum referre, insignem pariat deceptionem.

§. 5.
Termini
Propositi-
onis.

Nomen et Verbum sunt partes Propositionis Verbales, significant tamen Reales: unde Partes Signantes dicuntur, sicut Reales, qui et Termini, Partes Signatae. Terminus est, quo constituitur, et in quem resolvitur Propositio. Sunt autem Termini tres, Subjectum, Praedicatum, Copula: quorum Subjectum et Praedicatum a Nomine signantur, Copula a Verbo. Ita fere institui* solent tyrones in scholis de numero et natura Terminorum; sed secundum doctrinam Aristotelis atque ipsam rei veritatem, statuendi potius essent duo tantum Termini, Subjectum et Praedicatum. Quorum Subjectum perpetuo est Nomen, Praedicatum Verbum, aut per se positum aut Nomini conjunctum. Copula autem verbalis non est proprie pars aut terminus totius Propositionis, sed Syncategorema pertinens ad Praedicatum, ut ejus pars. Exempli gratia, in ista Propositione ‘Socrates est justus,’ *ly*† Socrates est Nomen, et Subjectum Propositionis, et totum illud ‘est justus’ est Verbum, et Praedicatum Propositionis. Et in ista ‘Ambulare est moveri,’ *ly* ‘Ambulare’ est Nomen et Subjectum: *ly* ‘est moveri’ Verbum et Praedicatum. Caeterum quoniam interest persaepe tyronum quorum maxime in gratiam ista meditamus, dediscenda potius discere quam insolita, nobis sat erit tritam insistere semitam, nec veniam desperare, communem errantibus errorem.

* ‘Ita fere institui.’ All the rest Third Edition.
of this paragraph was added in the † ‘*ly*.’ See above, p. 10.

Subjectum, quod et Thēma dicitur et Suppositum, est Nomen illud praecedens Copulam, cui Praedicatum attribuitur. Praedicatum, quod et Attributum, et Oppositum, et Adjectum dici-
tur, est Nomen illud sequens Copulam, quod Subjecto attribui-
tur. Copula, sive vinculum verbale, est Verbum substantivum Praedicatum cum Subjecto connectens. Ut in hac Propositione ‘Homo est Animal,’ *ly* Homo est Subjectum, *ly* Animal Praedicatum, *ly* est Copula.

1. Subjectum et Praedicatum aestimanda sunt ex ordine Syntaxis, non loci. Contingit enim multoties cryptica quaedam partium Propositionis inversio, qua fit ut transpositis Terminis rum. Praedicatum primo loco, novissimo Subjectum collocetur: ut in hac Propositione, ‘Saluberrima res est Abstinētia,’ *ly* Abstinentia est Subjectum.

2. Termini non semper omnes exprimuntur in Propositione, id quod contingit, quum aliquis Terminus vel subintelligitur, vel in alio implicite includitur. Cujusmodi Propositiones Implicitae dicuntur: quae ut Explicitae fiant, supplendum est quod intelligitur, ut ‘Mediocria firma,’ supple Copulam ‘sunt;’ et resolvendum, si quid alteri includitur: ut ‘Socrates currit,’ resolve Verbum adjectivum in copulam Verbi substantivi et participium, ‘est enrens.’*

3. Praedicatum dignior est Terminus in Propositione. Praedicatum enim habet rationem Formae, sicut Subjectum Materiae; et est fere magis universale quam Subjectum.

4. Termini Propositionis debent esse inter se diversi: scilicet aut re ipsa, ut ‘Socrates currit;’ aut saltem respectu nostrae cognitionis, ut ‘Machaera est gladius.’ Identicae enim Praedications non promovent cognitionem. Sed Ploce † Rhetorica non est identica Praedicatio, propter diversificatam ex vi emphasis significationem.

Quaestiones Capitis Primi.

1. De libro περὶ Ἐρμηνείας Aristotelis.
2. De Interpretationibus.
3. De Nomine et Verbo.

* ‘est currens.’ In the First and Second Editions the Chapter ends with these words.

† Πλοκή, *copulatio*, Figura elocu-

§. 6.
Definitio-
nes Termi-
norum.

§. 7.
Canones
Termino-
rum.

4. De Propositionis nomine et definitione.
5. De Terminis Categorematicis et Syncategorematicis.
6. De Terminis Propositionis.*

CAP. II.

De Suppositione Terminorum.

§. 1. TERMINIS Propositionis respectu Significationis accidentum Suppositio, Ampliatio, et Restrictio: quarum Suppositio ipsam Significationem, reliquae latitudinem potius Significationis respi-
niss. ciunt. Suppositio est Acceptio Termini in Propositione pro eo quod quomodounque significat. Non est ipsa Significatio, sed Determinatio Significationis; et a Significatione in eo differt, quod Significatio sit ipsius Voci, Suppositio vero Termini compositi quodammodo ex Voce ut Materiali, et Significatione ut Formali.

§. 2. Unde sequitur Suppositionem aliam esse Materialem, Formallem aliam. Suppositio Materialis est quando Terminus supponit pro suo Materiali, sive pro ipsa Voce: Formalis, quando pro Formali, sive pro se significata. Ut in istis, ‘Homo est disyllaba dictio,’ ‘Currit est Verbum;’ *ly* Homo, *ly* Currit supponit materialiter, et accipiuntur † pro ipsismet vocibus: in ista vero, ‘Homo est Animal,’ *ly* Homo supponit formaliter, et accipitur pro re significata.

§. 3. Propria et Impropria.
Suppositio Formalis alia est { Impropria, quando Vox accipitur pro eo quod improprie significat: ut in ista, ‘Aquilae captae sunt,’ *ly* Aquilae supponit improprie pro signis militaribus.
Propria, quando Vox accipitur pro eo quod proprie significat: ut *ly* Homo in ista, ‘Homo est Animal.’

Est autem Propria Vociis Significatio ea, ad quam significandam Vox primo est imposta. Impropria vero ea, ad quam significandam Vox a propria Significatione transfertur per Tropum.

* In the First Edition these Questions stood,

1. De variis Propositionis nominibus.
2. De Definitione Propositionis.
3. De Nomine et Verbo.
4. De Subjecto, Praedicato, et

Copula.

The Second prefixes to these the first Question, as given here,
‘De libro, &c.’

† ‘et accipiuntur, &c.’ In the First Edition, ‘et sumuntur τεχνικῶς pro ipsis vocibus.’

Suppositio Propria aut Simplex est, aut Personalis. Utraque rursus aut Singularis Termini, aut Communis. Suppositio Simplex est Acceptio Termini Singularis, vel Communis, praecise pro suo immediato significato. Terminus Singularis tunc cognoscitur supponere simpliciter, quando non possunt inferri sua superiora: ut *ly* Socrates, in ista, ‘Socrates est individuum;’ non enim licet inferre, ergo Homo, ergo Animal est individuum. Terminus vero Communis tunc, quando non possunt inferri sua inferiora; ut *ly* Homo in ista, ‘Homo est Species;’ non enim licet inferre, ergo Aliquis hominum singularium est Species.

§. 4.
Simplex et
Personalis.

Suppositio Personalis est Acceptio Termini etiam pro suis mediatis significatis: quae, si sit Termini Singularis, Discreta dicitur; Communis, si Communis. Terminus Singularis tunc supponit personaliter, quum possunt inferri sua superiora: ut *ly* Socrates in ista, ‘Socrates currit;’ licet enim inferre, ergo Homo, ergo Animal currit. Terminus vero Communis tunc, quum possunt inferri sua inferiora: ut *ly* Homo in ista, ‘Homo currit;’ licet enim inferre, ergo Aliquis singularium hominum currit.

§. 5.
Discreta et
Communis.

Suppositio Communis vel Naturalis est, vel Accidentalis. Suppositio Naturalis, quae et Doctrinalis dicitur, quod in discordis Disciplinis ea fere utamur, est Acceptio Termini Communis pro omnibus suis inferioribus, de quibus potest praedicari, sine certi temporis respectu: ut in istis, ‘Homo est animal,’ ‘Coelum est rotundum;’ *ly* Homo, et *ly* Coelum supponunt naturaliter. Id quod fit in omnibus Propositionibus quae sunt aeternae veritatis, in quibus vulgatum illud, ‘Copulam absolvit ab omni Nunc et Tunc.’

§. 6.
Suppositio
Naturalis.

Suppositio Accidentalis est Acceptio Termini Communis pro omnibus suis inferioribus, non simpliciter, sed secundum exigentiam certi temporis importati per adjectum: ut in ista, ‘Homo currit,’ *ly* homo supponit accidentaliter, pro singularibus hominibus tantum qui nunc sunt, non qui fuerunt, aut erunt; et consimiliter in istis, ‘Homo currit,’ ‘Homo cœcurrit,’ mutatis mutandis. Id quod fit in omnibus Propositionibus, quae non sunt aeternae veritatis, in quibus Copula non absolvitur a Nunc et Tunc.

§. 7.
Suppositio
Accidenta-
lis.

Suppositio Communis rursus quadruplex est; scilicet Distributiva, Copulata sive Collectiva, Determinata, et Confusa: Suppositio Distribu-
tiva: quarum Distributiva et Collectiva resolvuntur in sua inferiora,

§. 8.
Suppositio
Distribu-
tiva.

mediante conjunctione copulativa; Determinata vero et Confusa, mediante conjunctione disjunctiva. Suppositio Distributiva est, quum Terminus Communis signo universali affectus supponit pro omnibus suis inferioribus seorsim. Quod fit duobus modis.

Vel enim dis-
tribuitur in

Singula Generum; quum Terminus supponit pro singulis Individuis sub se contentis: ut *ly* Homo in ista, ‘Omnis Homo est animal:’ id est, omnis singularis homo.

Genera Singulorum; quum Terminus supponit non pro singulis Individuis, sed pro singulis Individuorum generibus seu ordinibus: ut *ly* Vinum in ista, ‘Omne Vinum venditur a Socrate,’ id est, omne genus vini.

§. 9.
Distribu-
tiva Reso-
lutiō.

Resolvuntur Supponentia distributive subsumendo singula inferiora, pro quibus supponunt, cum altero Termino Propositionis seorsim, mediante conjunctione copulativa. Ut ista, ‘Omnis Homo est animal,’ resolvitur sic, ‘Iste Homo est animal, et iste Homo est animal,’ &c addendo *ly* Animal singulis seorsim; et ista, ‘Omne vinum venditur a Socrate,’ resolvitur sic, ‘Hoc genus vini venditur, et illud genus vini venditur,’ &c.

§. 10.
Suppositio
Collectiva.

Suppositio Copulata, sive Collectiva, est quum Terminus Communis signo universali affectus supponit pro omnibus suis inferioribus collective: ut *ly* Elementa in ista, ‘Omnia Elementa sunt quatuor.’ Collective autem Supponentia resolvuntur, subsumendo singula inferiora, pro quibus supponunt, cum altero Termino Propositionis conjunctim, mediante conjunctione copulativa: ut ista, ‘Omnia Elementa sunt quatuor,’ resolvitur sic, ‘Istud Elementum, et istud, et istud, et istud sunt quatuor,’ addendo *ly* quatuor universis conjunctim; nam de singulis seorsim falsum esset.

§. 11.
Suppositio
Determinata.

Suppositio Determinata est Acceptio Termini Communis sine signo, vel cum signo particulari, pro aliquo omnium suorum inferiorum disjunctive: ut in istis, ‘Homo currit,’ ‘Aliquis Homo currit,’ *ly* Homo supponit determinate pro aliquo singularium hominum. Et resolvuntur hoc modo Supponentia, subsumendo singula inferiora pro quibus supponunt, cum altero Termino Propositionis seorsim, mediante conjunctione disjunctiva. Ut ista, ‘Homo currit,’ resolvitur sic, ‘vel iste homo currit, vel iste homo currit,’ &c. addendo *ly* currit singulis seorsim.

Suppositio Confusa est Acceptio Termini communis sine signo, vel cum signo particulari, pro omnibus suis inferioribus disjunctive : ut in istis, ‘ Navis est necessaria ad transfretandum,’ ‘ Aliqua Navis est, &c.’ *ly* Navis supponit pro omni nave confuse. Et resolvuntur confuse Supponentia, subsumendo singula inferiora, pro quibus supponunt, cum altero Termino Propositionis conjunctim, mediante conjunctione disjunctiva : ut ista, ‘ Navis est necessaria,’ &c. ‘ Vel ista Navis, vel ista, vel ista, &c. est necessaria’ addendo *ly* necessaria universis conjunctim ; nam de singulis seorsim falsum esset.

§. 12.
Suppositio
Confusa.

Dictiones Syncategorematicae, et praecipue Quantitatuum Signa, Terminorum Suppositiones multis modis variant : de quibus, ut et resolutione Suppositionum, Summularii * satis operose regulas tradiderunt, sed quas Logicae studiosus per attentam Terminorum in Propositione considerationem ex iis quae jam dicta sunt per se facile observabit.

§. 13.
De Regulis
Suppositio-
num.

Quaestiones Capitis Secundi.

1. De Definitione et usu Suppositionis.
2. De Suppositione Materiali et Formali.
3. De Propria et Impropria.
4. De Simplici et Personalis.
5. De Discreta et Communi.
6. De Naturali et Accidentalni.
7. De Distributiva et Collectiva.
8. De Determinata et Confusa.

CAP. III.

De Ampliatione et Restrictione.

AMPLITUDO Termini est dilatatio Suppositionis ejus ultra suum statum respectu temporis. Restrictio vero, ejusdem coaretatio citra suum statum. Dicitur autem Terminus habere statum suum quum supponit pro suis significatis praecise secundum exigentiam temporis in principali copula : ut in ista, ‘ Aliquis homo disputat,’ *ly* homo habet statum suum, et supponit praecise, pro homine qui nunc est; Ampliari vero, quum Suppositio ejus extenditur ad plura; Restrungi, quum contra-

§. 1.
Definitio
Ampliatio-
nis et Re-
strictionis.

* ‘Summularii.’ See below, Appendix Poster. cap. iv. §. 4.

hitur ad pauciora significata, quam pro exigentia temporis in principali copula.

§. 2.
Quinque
Temporum
Differen-
tiae.

Sunt autem Temporis Differentiae, prout hic spectantur, quinque: Temporis scilicet Praesentis, Praeteriti, Futuri, Possibilis, et Imaginarii. Secundum harum differentiarum plures, aut omnes disjuntem, contingit Terminum ampliari; atque Terminus sic ampliatus debet resolvi in sua significata secundum eas, mediante conjunctione disjunctiva. Est ergo Ampliatio quadruplex, prout secundum duas, tres, quatuor, vel omnes temporis differentias contingit Terminum ampliari.

§. 3.
Ampliatio
secundum
duo Tem-
pora.

Ampliatio prima est secundum duas Temporis differentias, quod etiam fit duobus modis. Primo, quum Terminus ampliatur ad praesentia et praeterita: quomodo *ly* Sedens in ista, 'Sedens surrexit,' ampliatur, ut supponat pro eo qui sedet, aut sedebat; et *ly* domum in ista, 'Destruo domum,' scilicet quae est, vel fuit. Altero, quum Terminus ampliatur ad praesentia et futura: quomodo *ly* Vivens in ista, 'Vivens morietur,' ampliatur ut supponat pro eo qui vivit aut vivet; et *ly* domum, in ista, 'Aedifico domum,' scilicet quae est, vel erit. Verba praeteriti temporis semper ampliant Subjectum ad praesentia et praeterita; et futuri ad praesentia et futura. Termini posterioritatis aut definitionis ampliant Terminum cui applicantur, ad praesentia et praeterita; inceptionis vero aut prioritatis ad praesentia et futura.

§. 4.
Ampliatio
secundum
tria Tem-
pora.

Ampliatio secunda est secundum tres differentias Temporis; quum scilicet Terminus ampliatur ad praesentia, praeterita, et futura: quomodo ampliatur *ly* natus in ista, 'Omnis natus morietur,' scilicet qui est, fuit, vel erit natus. Verba futuri temporis hoc modo semper ampliant Subjecta praeteriti.

§. 5.
Ampliatio
secundum
quatuor
Tempora.

Ampliatio tertia est secundum quatuor differentias temporis: quum scilicet Terminus ampliatur ad praesentia, praeterita, futura, et possibilia: quomodo *ly* Flos ampliatur in ista, 'Flos est corruptibilis,' scilicet qui est, fuit, erit, aut potest esse. Verbum 'Potest,' et nomina ac adverbia illud includentia, hoc modo semper ampliant Subjecta,

§. 6.
Ampliatio
secundum
omnesTem-
poris diffe-
rentias.

Ampliatio quarta, et maxima, est secundum omnes differentias Temporis: quum scilicet Terminus ampliatur ad praesentia, praeterita, futura, possibilia et imaginaria, quomodo *ly* opes sumitur in ista, 'Avarus appetit opes,' scilicet quae sunt,

fuerunt, erunt, possunt esse, vel imaginari. Verba appetitus, aut intellectus, et similia, hoc modo semper ampliant Terminum, cui *velut Objecto** applicantur.

Restrictio Ampliationi contraria est; fitque, quum status seu §. 7.
Restrictio. Ampliatio Termini ad pauciora supposita per aliquod additum contrahitur: sive illud additum sit relativum pronomen, quae copula implicationis appellatur, ut in ista, ‘Homo qui est sapiens, cognoscit se;’ sive adjективum nomen, ut in ista, ‘Homo sapiens cognoscit se;’ sive substantivum inferius, ut in ista, ‘Poeta Virgilius scribit;’ sive casus obliquus, ut in ista, ‘Equus Socratis currit.’ in quibus omnibus Subjectum restringitur, per illa quae adduntur, ad supponendum pro paucioribus.

Restrictioni affines sunt	<div style="display: flex; justify-content: space-between;"> <div style="flex-grow: 1;"> Alienatio, estque quum additum facit Terminum cui additur supponere improprie: ut in ista, ‘Homo pictus est in aula,’ <i>ly</i> Homo alienatur per illud additum <i>ly</i> pictus. </div> <div style="text-align: right; font-size: small;"> §. 8. Alienatio et Diminutio. </div> </div> <div style="display: flex; justify-content: space-between;"> <div style="flex-grow: 1;"> Diminutio, estque quum additum diminuit integrum significationem Termini cui additur: ut in ista, ‘Aethiops est albus dentibus,’ <i>ly</i> albus diminuitur per additum <i>ly</i> dentibus. Terminus diminutus appellatur dictum secundum quid: non diminutus dictum simpliciter. </div> <div style="text-align: right; font-size: small;"></div> </div>
------------------------------	---

Quaestiones Capitis Tertii.

1. De Usu Ampliationis et Restrictionis.
2. De utriusque Definitione.
3. De modis Ampliationis.
4. De modis Restrictionis.
5. De Alienatione et Diminutione.

CAP. IV.

De Divisionibus Propositionis.

TRIFARIAM dividitur Propositio, quoad non restringitur ad certam materiam: scilicet secundum Substantiam, Qualitatem, et Quantitatem. Triplici Divisioni triplex aptatur Quaestio : §. 1.
Triplex Di-
visio Propo-
sitionis.

* ‘*velut Objecto,*’ inserted in the Second Edition.

Quae, quaestio Substantiae; Qualis, Qualitatis; Quanta, Quantitatis: unde versiculus,

Quae? Ca. vel Hyp. Qualis? Ne. vel
Aff. Quanta? Uni. Par. In. Sing.

§. 2.
Divisio Pro-
positionis
quoad Sub-
stantiam.

Quoad Substantiam, Propositio dividitur in Simplicem sive Categoricam, et Compositam, quae et synecdochice Hypothetica. Simplex sive Categorica est, quae constat unico Subjecto, unico Praedicato, et unica verbali Copula: ut ‘Homo est animal.’ Ejus Materia immediata sunt Simplices Termini: Forma, unio Terminorum per verbum. Composita, seu Hypothetica late sumpta, est, quae constat ex pluribus Categoricis per conjunctionem unitis: ut, ‘Si Homo sit animal, tum Homo est corpus.’ Ejus Materia immediata sunt Categoricae Propositiones: Forma, unio Categoriarum per conjunctionem.

§. 3.
Propositio
Pura et
Modalis.

Propositio Categorica Pura est vel Modalis: Pura, sive *de inesse*, est, in qua Praedicatum pure affirmatur vel negatur de Subjecto: ut ‘Homo est animal.’ Pure affirmatur aut negatur, quod simpliciter dicitur inesse, aut non inesse: hoc est, non expresso inessendi aut non inessendi modo; unde et Propositio *de inesse* appellatur. Modalis est, in qua exprimitur modus dispositionis Praedicati cum Subjecto, ut ‘Necesse est Hominem esse Animal.’

§. 4.
Divisio Pro-
positionis
quoad Qua-
litatem
Vocis.

Quoad Qualitatem, Propositio Categorica dividitur in Affirmativam et Negativam; atque iterum in Veram et Falsam. Quarum divisionum, ista* Rei, illa Vocis Qualitatem respicit. Quaestio Qualitatis de Vocis Qualitate intelligenda est, non Rei. Affirmativa est, in qua Praedicatum de Subjecto affirmatur: ut ‘Homo est animal.’ Negativa, in qua negatur: ut ‘Homo non est lapis.’ Qualitas Propositionis aestimanda est penes principalem copulam; quae si non afficiatur negatione, tota Propositio erit affirmativa: ut ‘Non animal est non homo:’ negativa est, ‘Homo non est lapis.’ Notae enim negationis *Non &c.*, nisi afficiant Copulam, Propositionem faciant licet, ex altero vel utroque termino, Infinitam, non faciunt Negativam.

§. 5.
Divisio Pro-
positionis

Propositio vera est quae cum re convenit, sive quae dicit id quod est esse, aut non esse quod non est; ut ‘Homo est animal,’

* In the First Edition: ‘ista ad Rei, illa Vocis Qualitatem pertinet.’

‘Homo non est lapis.’ Falsa, quae cum re dissentit, sive quae ^{quoad Qualitatem Rei.} dicit id esse quod non est, aut quod est non esse: ut ‘Homo est lapis’ ‘Homo non est animal.’

Ut in Propositione cognoscatur Habitudo Qualitatis ad Qualitatem (Qualitatis scilicet Rei ad Qualitatem Vocis) notanda est Materia Propositionis diversa. Materiam dico, non *ex qua*, ^{§. 5.} illa enim sunt Termini; sed *circa quam*, quae respicit significationem. ^{Triplex Propositio-nis Materia.}

Estque ea triplex:

Necessaria, quum Praedicatum ita convenit Subjecto ex natura rei, ut non possit res aliter se habere: ut ‘Homo est animal.’
Impossibilis, quum Praedicatum ita repugnat naturae Subjecti, ut non possit res ita se habere: ut ‘Homo est lapis.’
Contingens, quum Praedicatum ita se habet indifferenter ad Subjectum, ut ei naturaliter nec conveniat nec repugnet: ut ‘Homo est doctus.’

In Materia Necessaria, Propositiones Affirmativaes semper ^{§. 7.} sunt verae, Negativae falsae: ut *ly* ‘Homo est animal,’ vera est: *ly* ‘Homo non est animal,’ falsa. ^{Veritas et falsitas Propositionum quantum ad Materiam.}

In Materia Impossibili, Propositiones Affirmativaes semper sunt falsae, Negativae verae: ut *ly* ‘Homo est lapis,’ falsa est: *ly* ‘Homo non est lapis,’ vera.

In Materia Contingenti, nec Affirmativaes, nec Negativae sunt semper verae, aut falsae; utraeque enim vel verae esse possunt vel falsae: ut ‘Homo est doctus,’ ‘Homo non est doctus.’

Quoad Quantitatem, Propositio Categorica est Universalis, ^{§. 8.} Particularis, Indefinita, vel Singularis. Universalis est cuius Subjectum est Terminus Communis cum Signo universali. Signa universalia sunt *omnis, nullus, uterque, neuter, &c.*: ut ‘Omnis homo est animal,’ ‘Nullus homo est lapis.’ Signa universalia, quando faciunt Subjectum supponere distributive in singula generum, faciunt Propositionem perfecte et simpliciter Universalem: secundario vero et imperfecte Universalem, quando faciunt Subjectum supponere distributive in genera singulorum, vel etiam collective.

Particularis Propositio est cuius Subjectum est Terminus ^{§. 9.} Communis cum Signo particulari. Signa particularia sunt *ali quis, quidam, aliquis non, &c.*: ut ‘Aliquis homo est doctus,’ ^{Particularis.}

‘Quidam homo non est doctus.’ Aliqua Signa particularia faciunt Propositiones, etsi non Universales, proximas tamen Universali: ut ‘Plerique divites sunt avari.’

§. 10.
Indefinita.

Propositio Indefinita est, cuius Subjectum est Terminus Communis sine aliquo Signo: ut ‘Homo est animal,’ ‘Homo non est doctus.’ Indefinita in Materia Contingenti, aequipollent Particulari; in Necessaria vero vel Impossibili, Universali. Indefinitarum praecipuus usus est in Propositionibus quas vocant de Idea, quibus non recte apponitur universale Signum, etsi aequipolleant Universalibus: ut ‘Coelum est Rotundum’ indefinite dicimus, potius quam ‘Omne Coelum,’ universaliter. Et in iis quae ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ significant, et sunt Universalibus proximae: ut ‘Divites sunt avari.’ Et in iis etiam in quibus Subjectum supponit materialiter, vel etiam simpliciter: ut ‘Homo est nomen,’ ‘Animal est genus;’ istae enim nec Universalibus aequipollent, nec Particularibus, sed potius Singularibus; nam *ly* Homo et *ly* Animal, id est, ‘haec vox Homo, hic terminus Animal,’ sunt singularia.

§. 11.
Singularis.

Propositio Singularis est, cuius Subjectum vel est Terminus Singularis, vel Terminus Communis singularizatus. Ut, ‘Socrates currit.’ ‘Hic homo non est doctus.’ Subjectum quovis determinato modo individuum facit Singularem Propositionem.*

§. 12.
Divisiones
aliae.

Sunt et aliae Divisiones Propositionum praeter jam dictas, quibus in Republica Logica suus est locus et usus. Quarum praecipuae sunt istae.

1. Propositio est vel una, vel plures. Propositio una est, in qua unum uni attribuitur. Unum autem intellige vel Terminum Simplicem, eumque univoce sumptum, quomodo haec Propositio est una, ‘Homo est animal;’ vel saltem Terminum compositum ex iis quae naturaliter conjungi possunt, ita ut ex ipsis fiat unum quid: quomodo haec Propositio est una, ‘Homo est animal rationale mortale.’ Propositiones plures sunt,
 1º. Ubi aut Subjectum aut Praedicatum est Terminus aequivocus aequivoce sumptus: ut ‘Canis est substantia.’
 2º. Ubi vel Subjectum, vel Praedicatum, vel utrumque est multiplex, et non unum: ut ‘Socrates et Plato disputant;’ ‘Homo vivit et currit;’ ‘Socrates sedet, et Plato currit.’
 3º. Ubi occurrit Ter-

* ‘facit Singularem Propositionem.’ In the First and Second Editions the Chapter ends with these words.

minus compositus ex quibus naturaliter non fit unum per se : ut ‘Socrates est albus,’ ‘Sutor est musicus.’

2. Propositio vel est secundi adjacentis, vel tertii. Secundi adjacentis est, in qua Copula non est separata a Praedicato : id quod fit, quoties verbum vel adjacens attribuitur Subjecto ; ut ‘Homo est,’ ‘Homo ambulat.’ Propositio tertii adjacentis est, in qua Copula verbalis est sejuncta a Praedicato : ut ‘Homo est animal.’

3. Propositio omnis est vel Finita, vel Infinita. Finita est, cuius omnes Termini sunt finiti : ut ‘Homo currit.’ Infinita est, cuius aliquis Terminus est infinitus. Propositiones tertii adjacentis possunt esse ex omni parte infinitae ; secundi vero, non nisi ex parte Subjecti tantum. Propositionem contingit infinitam esse tribus modis : scilicet 1º. De Subjecto infinito : ut ‘Non homo currit.’ 2º. De Praedicato infinito : ut ‘Homo est non justus.’ 3º. De utroque Termino infinito : ut ‘Non homo est non risibilis.’

Quaestiones Capitis Quarti.

1. De triplici Divisione et Interrogatione Propositionis.
2. De Propositione Categorica et Hypothetica.
3. De Propositione Affirmativa et Negativa.
4. De Propositionis Veritate et Falsitate.
5. De Materia Propositionis.
6. De Quantitate Propositionis.
7. De Propositione una, et pluribus.
8. De Propositione secundi et tertii adjacentis.
9. De Propositione Finita et Infinita.
10. De aliis Divisionibus et Distinctionibus Propositionis.*

CAP. V.

De Oppositione Propositionum Categoriarum de inesse.

PROPOSITIONUM CATEGORIARUM *de inesse* (secundum quod in-^{1. §. 1.} stituitur unius cum alia ejusdem Subjecti et Praedicati collatio) ^{Triplex affectio Propositionis.}

* The First Edition has only five Questions, of which the Second, Third, and Fourth are—

De Divisione Propositionis secundum Substantiam.

De Divisione Propositionis sec-

cundum Qualitatem Vocis.
De Divisione Propositionis secundum Qualitatem Rei.

In the Second Edition there is a sixth Question, De Quantitate Propositionis, as above.

tres sunt affectiones: Oppositio, Aequipollentia, et Conversio: quarum Oppositio et Aequipollentia sunt inter duas Categoricas ejusdem ordinationis Terminorum; Conversio vero diversae.

§. 2.
Oppositiōnis Defini-
tio et Spec-
ies.

Oppositio est repugnantia duarum Propositionum Categoriarum in Quantitate sola, vel Qualitate sola, vel utraque, eodem manente Subjecto et Praedicato. Ejus quatuor sunt species: scilicet Contraria, Subcontraria, Contradictoria, Subalterna: quarum Contraria et Subcontraria pugna est solius Qualitatis, Subalterna solius Quantitatis, Contradictoria utriusque. In quibus omnibus, quo fiat Oppositio legitima, caute videndum ne non sint in utraque Opposita iidem Termini, idem ordo Terminorum, eadem significatio, et respectu circumstantiarum idem omnino significandi modus.

§. 3.
Oppositiō
Contra-
ria.

Oppositio Contraria est duarum Propositionum Universalium repugnantia in Qualitate: ut, ‘Omnis homo currit,’ ‘Nullus homo currit.’ Possunt Contrariae ambae esse simul falsae, in Materia scilicet contingenti, nunquam simul verae: unde sequitur, ista est vera, illa falsa: non e contra.

§. 4.
Oppositiō
Subcontra-
ria.

Oppositio Subcontraria est duarum Propositionum Particularium repugnantia in Qualitate: ut, ‘Aliquis homo currit,’ ‘Aliquis homo non currit.’ Possunt Subcontrariae ambae esse simul verae, in Materia scilicet contingenti, nunquam falsae: unde sequitur, ista est falsa, ergo illa vera: non e contra.

§. 5.
Oppositiō
Subalterna.

Oppositio, omnium minima, Subalterna, est duarum Propositionum Affirmantium, vel Negantium repugnantia in Quantitate: ut, ‘Omnis homo currit,’ ‘Aliquis homo currit:’ ‘Nullus homo currit,’ ‘Aliquis homo non currit.’ Istarum Universalis dicitur Subalternans, Particularis Subalternata. In veritate, Subalternata sequitur Subalternantem: in falsitate, Subalternans Subalternatam: unde sequitur, Subalternans est vera, ergo Subalternata, et non e contra; atque iterum Subalternata est falsa, ergo Subalternans, et non e contra.


§. 6.
Oppositiō
Contradic-
toria.

Oppositio omnium maxima, Contradictoria, est duarum Propositionum in Quantitate simul et Qualitate repugnantia: ita ut unius Universalis et alterius Particularis altera necessario sit Affirmativa, altera Negativa: ut, ‘Omnis homo currit,’ ‘Aliquis homo non currit,’ ‘Nullus homo currit,’ ‘Aliquis homo currit.’ Est secundarium quoddam Contradictionis genus, inter binas Singulares: ut ‘Socrates currit,’ ‘Socrates non currit;’ atque inter binas Indefinitas: sive illae sint de Idea, ut, ‘Coelum est

rotundum,' 'Coelum non est rotundum ;' sive de Subjecto supponente materialiter vel simpliciter : ut, 'Homo est species,' 'Homo non est species.' Quarum omnium lex una communis est : Impossibile esse Contradictorias in quavis Materia ambas esse simul vel veras, vel falsas.

Oppositionis doctrinam hujusmodi fere Schemate oculis subjiciunt.

§. 7.
Schema
Oppositi-
onum, et ver-
siculi.



Schemati memoriae juvandae ergo versiculos adjicimus.

Androgei contradicunt, *Contraria Magnes*,

Fio Subcontraria sunt, *Capiendo* Subaltern.

Utrobique, et in angulis Schematis, ubi Contraria ad summum, ad imum Subcontraria, ad utrumque latus Subalterna, Contradictoria ad oppositos angulos collocata sunt, et in vocabulis versiculorum fictitiis *Androgei*, *Magnes*, *Fio*, *Capiendo*, quatuor vocales A, E, I, O, signant quatuor Propositionum Differentias ex varia complexione Quantitatis et Qualitatis ortas : quarum A valet *Omnis*, et notat Universalem Affirmativam ; E *nullus*, et notat Universalem Negativam ; I *Aliquis*, et notat Particularem Affirmativam ; O *Aliquis non*, et notat Particularem Negativam : juxta vulgares rhythmos,

Asserit A, negat E; sed universaliter ambae:
Asserit I, negat O; sed particulariter ambo.

Quaestiones Capitis Quinti.

1. De Oppositione Propositionum in genere.
2. De Oppositione Contraria.
3. De Oppositione Subcontraria.
4. De Oppositione Subalterna.

CAP. VI.

De Aequipollentia earundem.

§. 1.
Definitio
Aequipol-
lentiae.

AEQUIPOLLENTIA communiter sumpta est duarum Propositionum, verbo tenus, quoquo modo discrepantium omnimoda in sensu conspiratio. Quomodo Propositio de Praedicato tropico aequipolleter Propositioni de Praedicato proprio: ut ista, ‘Socrates est vulpes,’ huic ‘Socrates est versutus’: etsi Tropicum quam Proprium majorem fere habeant emphasin. Sed in praesenti strictius sumitur Aequipollentia; estque duarum* Propositionum Oppositarum per adventum Negationis reconciliatio in Quantitate et Qualitate, tum Vocis, tum Rei.

§. 2.
Ejus funda-
mentum.

Fundamentum hujusmodi Aequipollentiae est natura Negationis: cuius apud Latinos (Graecis enim alia longe ratio est Negationis et Aequipollentiae) ea vis est, ut totum id neget, quodcunque post se reperit, quamvis sit vel altera Negatio: unde illud, ‘Duae negationes faciunt affirmativam unam.’ Pro triplici ergo Negationis dispositione triplex erit Aequipollentiae ratio: cuius universa doctrina unico hoc versiculo continetur:

Prae, contradict. Post, contrar. prae, Postque subaltern.

In quo versiculo *ly* Prae et Post significant Praepositionem vel Postpositionem, prout casus exigit, particulae negativae Signo simul et Subjecto.

Regulae Aequipollentiarum sunt tres.

§. 3.
Aequipol-
lentiarum
Regulae.

1. Alterutri Contradictiorum praeposita Negatio facit eam aequipollere suaे Contradictoriae. Aequipollent ergo ista, *Non*

* In the First Edition: ‘duarum reconciliatarum, Aequipollentia in Propositionum prius Oppositarum Quantitate et Qualitate, et Veritate jamque per adventum Negationis aut Falsitate.’

omnis, aliquis non: nonnullus, aliquis: non aliquis, nullus: non aliquis non, omnis.

2. Alterutri Contrariarum postposita Negatio facit eam aequipollere suaे Contrariae. Aequipollent ergo ista, *omnis non, nullus: nullus non, omnis*: etsi idoneorum in lingua Latina auctorum frequentior usus effecerit jamdiu, ut *ly* *omnis non, perinde ac ly non omnis*, valeat *aliquis non* haud infrequenter quam *nullus*. Quod imprimis tyronibus observandum moneo: quos in Scholis saepissime contingit ad ista minus attentos facile decipi, atque miserrime haerere in pice.

3. Alterutri Subalternarum praeposta simul et postposta Negatio facit eam aequipollere suaे Oppositae. Aequipollent ergo ista: *non omnis non, aliquis: non aliquis non, omnis: non nullus non, aliquis non*. Subcontrariae reconciliandae essent omnino quomodo Contrariae, postponendo scilicet Negationem, si usus linguae ferret; sed quum Negatio neutri comode postponi possit Subcontrariarum (non Affirmanti, quod sic eadem esset cum sua Opposita, non sensu modo sed et verbis; nec etiam Neganti, quod sic admitteretur immediatus concursus duarum Negationum,) de earum conciliatione nulla datur regula.

Quaestiones Capitis Sexti.

1. De Aequipollentia communiter dicta.
2. De vi Negationis.
3. De Conciliatione Contradictoriarum.
4. De Conciliatione Contrariarum et Subcontrariarum.
5. De Conciliatione Subalternarum.

CAP. VII.

De Conversione earundem.

CONVERSIO est mutatio Subjecti in locum Praedicati et e converso, manente eadem Qualitate Propositionis. In omni Definitio
Conversionis Conversione legitima requiruntur duo: Commutatio scilicet nisi. Terminorum, non quoad voces, sed quoad ordinem; et Illatio Convertentis ex Conversa. Est autem Propositio Conversa illa, cuius Termini transponuntur; Convertens vero ea, quae ex tali transpositione Terminorum infertur. In omni Conversione cavendum, ne Termini mutilati pro integris inferantur:

unde non sequitur, ‘Aliquis homo videt caecum,’ ergo ‘Aliquis caecus vedit hominem;’ sed inferendum est, ergo ‘Aliquod videns caecum est homo.’

§. 2.
Species
Conversio-
nis.

Conversionis tres sunt species; Simplex, per Accidens, per Contrapositionem. Atque his tribus modis omnes Propositiones possunt quidem converti; sed non ita, ut fiat debita Illatio. Conversio Simplex et per Contrapositionem sunt æquales; per Accidens est inæqualis. Simplex et per Accidens sunt finitae. Per Transpositionem est infinita. Doctrina legitimæ Conversionis hoc disticho comprehenditur.

Feci simpliciter convertitur; *Eva* per Acci;
Cato per contra. Sic fit Conversio tota.

§. 3.
Conversio
Simplex.

Conversio Simplex est mutatio Subjecti in locum Praedicati et e contra, manente eadem Quantitate. Hoc modo convertuntur Universalis Negativa in Universalem Negativam, et Particularis Affirmativa in Particularem Affirmativam, notatae per vocales E, I, in ly *Feci*, ut, ‘Nullus homo est lapis,’ ergo ‘Nullus lapis est homo;’ ‘Aliquis homo est tyrannus,’ ergo ‘Aliquis tyrannus est homo.’

§. 4.
Conversio
per Acci-
dens.

Conversio per Accidens sive Attenuata est mutatio Subjecti in locum Praedicati et e contra, manente eadem Qualitate, sed mutata Quantitate: unde et Inæqualis Conversio dicitur. Hoc modo convertitur omnis Propositio Universalis in Particularem ejusdem Qualitatis, quod notatur per vocales E, A, in ly *Eva*. Ut ‘Omnis homo est animal,’ ergo ‘Aliquod animal est homo;’ ‘Nullus homo est lapis,’ ergo ‘Aliquis lapis non est homo.’

§. 5.
Conversio
per Contra-
positionem.

Conversio per Contrapositionem est mutatio Subjecti in locum Praedicati et e contra, manente eadem Quantitate et Qualitate, sed mutatis Terminis finitis in infinitos. Hoc modo convertuntur Universalis Affirmativa in Universalem Affirmativam, et Particularis Negativa in Particularem Negativam, notatae per vocales A, O, in ly *Cato*. Ut, ‘Omnis homo est animal,’ ergo, ‘Omne non animal est non homo;’ ‘Aliquis homo non est tyrannus,’ ergo, ‘Aliquis non tyrannus non est non homo.’

Quaestiones Capitis Septimi.

1. De Definitione Conversionis.
2. De Conversione Simplici.
3. De Conversione per Accidens.
4. De Conversione per Contrapositionem.

CAP. VIII.

De Modalibus.

MODUS est determinatio compositionis in Propositione respectu Materiae: sive simplicius, est Vox significans quomodo Prædicatum inest Subjecto. Sunt autem Modi primarii quatuor, Necessus, Impossibile, Contingens, et Possibile. Quod vero aliqui addunt Verum et Falsum, per se, per Accidens, id minus recte fit. Verum enim et Falsum determinant Propositionis Qualitatem magis quam Quantitatem ratione Materiae: per se vero et per Accidens ad ista reducuntur, per se ad Necessarium, per Accidens ad Contingens.

Propositio Modalis est, quae aliquo istorum Modorum afficitur. In omni Propositione Modali duo sunt, Modus et Dictum. Dictum est Propositio Categorica *de inesse*, cui Modus attribuitur. Modus est determinatio ejus ad Materiam: proinde Dictum habet rationem Subjecti, Modus Praedicati. Ut in ista, ‘Necessus est hominem esse animal,’ *ly* ‘Homo est animal’ Dictum est, et habet rationem Subjecti: *ly* Necessus Modus, et, quamvis loci ordine prior, habet rationem Praedicati.

Modus enunciari potest vel adjective, ut ‘Necessus est hominem esse animal’: vel adverbialiter, ut ‘Homo necessario est Animal’: vel verbaliter, ut ‘Contingit Socratem currere’: potestque collocari vel in principio, ut in primo; vel in medio, ut in secundo exemplo; vel in fine, ut ‘Hominem esse animal necesse est’: et potest efficere sensum vel compositum, quum partes Dicti intelliguntur in eodem tempore; vel divisum, quum in diverso, ut ‘Possibile est sedentem stare’: quod est falsum sensu composito, verum in diviso.

Necessarium est quod non potest aliter esse: ut ‘Hominem esse animal’: et habet vim Universalis Affirmativae. ‘Impos- sibile est,’ quod non potest ita esse: ut ‘Hominem esse lapidem,’ Modorum.

et habet vim Universalis Negativae. Contingens est, quod ita est, sed potest non esse: ut ‘Socratem philosophari;’ et habet vim Particularis Affirmativa. Possibile est, quod non ita est, sed potest esse: ut ‘Aquam esse calidam;’ et habet vim Particularis Negativae.

**§. 5.
Quantitas
Modalium.** Quantitas Modalium, si attendatur penes Dictum, et est Quantitas Materialis, est omnino ut in Categoricis Puris; sin penes Modum, et est Formalis, ea Universalis est, quae habet Modum universalem Necessum, vel Impossibile: Particularis quae particularem, Contingens vel Possibile: ut ista, ‘Impossibile est aliquem hominem esse lapidem,’ Particularis est ex parte Dicti, ex parte Modi Universalis.

**§. 6.
Qualitas
Modalium.** Qualitas similiter, si attendatur penes Dictum, est ut in Puris: si penes Modum, ea affirmat quae habet Modum affirmantem, Necessum, vel Contingens; ea negat, quae negantem, Impossibile, vel Possibile: sin penes totam Modalem, ea Negativa est, in qua Modus formaliter negatur, Affirmativa, in qua non. Ut ista*, ‘Impossibile est hominem non esse animal,’ est Negativa ex parte Dicti, Negativa etiam ex parte Modi; sed secundum se totam Affirmativa.

**§. 7.
Veritas et
Falsitas
Modalium.** Modalis omnis vera est Necessaria, falsa omnis Impossibilis; nec datur medium. De Necessario vera est, cuius Materia Necessaria est: falsa, cuius Materia est Impossibilis vel Contingens. De Impossibili vera est, cuius Materia est Impossibilis; falsa cuius Materia est Necessaria vel Contingens. De Contingenti vera est, cuius Materia est Contingens: falsa, cuius Materia est Necessaria vel Impossibilis. De Possibili vera est, cuius Materia est Necessaria vel Contingens: falsa, cuius Materia est Impossibilis.

**§. 8.
Oppositi
et Aequi-
pollentia
Modalium.** Modalium Oppositionem et Aequipollentiam fictitiis quibusdam vocabulis expressere Logici: *Purpurea, Iliace, Amabimus, Edentuli*. Quatuor cuiuslibet vocabuli syllabae quatuor Modos ita significant; ut Possibile primae, Contingens secundae, tertiae Impossibile, Necessarium quartae respondeat; quatuor vero vocalium, quae in istis sunt dictionibus, A notat utrumque (Dictum scilicet et Modum) affirmari: U utrumque negari:

* In the First Edition, ‘Ut ista, ‘Non necesse est hominem currere,’ est Affirmativa ex parte Dicti, Affir-

mativa etiam ex parte Modi; sed secundum se totam Negativa.’

E affirmari Modum, negari Dictum : I negari Modum, Dictum affirmari : juxta versus,

Destruit U totum, sed A confirmat utrumque;

Destruit E Dictum, destruit I que Modum.

Quibus praemissis, totum negotium sine regularum ambitu ex subjecto Schemate conspici potest.

§. 9.
Schema
Oppositio-
nis et
Aequipol-
lentiae
Modalium.

<i>Pur-</i>	Non possibile non	Non possibile	<i>I-</i>
<i>pu-</i>	Non contingens non	Non contingens	<i>li-</i>
<i>re-</i>	Impossibile non	Impossible	<i>a-</i>
<i>a</i>	Necesse	Necesse non	<i>ce</i>
<i>A-</i>	Possible	Possible non	<i>E-</i>
<i>ma-</i>	Contingens	Contingens non	<i>den-</i>
<i>bi-</i>	Non impossibile	Non impossibile non	<i>tu-</i>
<i>mus</i>	Non necesse non	Non necesse	<i>li</i>

In quo Schemate aequipollent quae una aliqua dictione §. 10.
continentur ; opponuntur vero ad imum, summum, latera, et Expositio
oppositos angulos eodem prorsus modo, quo contingere in Puris Schematis.
Categoricis Oppositionem ostensem retro est suo loco. Contraria-
riantur ergo *Purpurea, Iliace*: Subcontrariantur *Amabimus, Edentuli*, atque iterum, *Iliace, Amabimus*: subalternantur *Purpurea, Amabimus*, atque iterum *Iliace, Edentuli*. Respicce *, bone Lector, Purarum Oppositiones et Aequipollentias, ne actum agatur.

De Conversione vero Modalium † nihil hic praecipio ; nec enim libet subtilitatibus parum necessariis, plusque habituris operae quam fructus, creare studiosis molestiam inutilem. Consulat, qui volet, Aristotelem, Analyt. Prior. lib. 1, cap. 3.‡

Quaestiones Octavi Capitis.

1. De Modis et Modalibus in genere.
2. De Modis et Modalibus in specie.
3. De Quantitate Modalium.

* In the First Edition : ‘Respicce Purarum Oppositiones et Aequipollentias. Omnia quadrant mire.’

† In the First Edition this para-
graph stood : ‘Conversio Modalium
spectatur solummodo ex parte Dicti :
proinde nec differt a Conversione

Purarum, nisi solum in Negativis de Contingenti ; quae, si sint Particulares, convertuntur simpliciter, nullo modo convertuntur, si sint Universales.’

‡ ‘Consulat—cap. 3.’ added in the Third Edition.

4. De Qualitate Vocis Modalium.
5. De Qualitate Rei Modalium.
6. De Oppositione Modalium.
7. De Aequipollentia Modalium.
8. De Conversione Modalium.

CAP. IX.

De Exponibilibus.

§. 1. **Propositio-** **neces-**
nes **Expo-**
nibiles. SUNT praeter has et aliae etiam secundario dictae Modales : in quibus dispositio Praedicati cum Subjecto suo quodammodo determinatur syncategorematica aliqua particula, sed minus nobili. Summularii Exponibiles propterea vocant, quod obscurae quum sint, habeant singulæ per alias plures magis perspicuas, quae eminenter in eis continentur, exponi. In iis praecipue sunt Exclusiva, Exceptiva, et Reduplicativa. Reliquas, quod exigui sint usus, memores Compendium esse quod scribimus, facile negligimus.

§. 2. **Propositio-** **Exclusiva.** Propositio Exclusiva est, in qua repetitur Syncategorema Exclusivum, qualia sunt *solum*, *tantum*, *praecise*, &c. Ut ‘Solum homo est rationalis.’

Estque ea ex-
clusiva vel { Praedicati ; quum signum exclusivum tenetur
ex parte Praedicati, et determinat illud :
ut, ‘Elementa sunt tantum quatuor ;’ et
dicitur Propositio de Excluso Extremo.*
Subjecti ; quum signum exclusivum tenetur ex
parte Subjecti, et modificat totam Proposi-
tionem : ut, ‘Tantum homo est risibilis ;’ et
dicitur absolute Propositio Exclusiva.

§. 3. **Propositio-** **Exclusiva.** Propositio de Excluso Extremo exponitur auferendo signum, et removendo a Praedicato quemcunque aliud numerum, aut rem, prout casus exigit : ut ista, ‘Elementa sunt tantum quatuor,’ exponitur sic, ‘Elementa sunt quatuor, et non plura.’ Propositio Exclusiva Subjecti, etsi possit aliter, simplicissime tamen exponitur per Universalem Affirmativam transpositis Terminis : ut ista, ‘Solus homo est risibilis ;’ exponitur sic, ‘Omne risibile est homo ;’ et consimiliter de reliquis, mutatis mutandis.

* ‘Extremo.’ In and after the Fifth Edition, ‘Termino.’

Propositio Exceptiva est, in qua reperitur Syncategorema §. 4.
Exceptivum, qualia sunt *nisi, praeterquam, praeter, excepto,*
&c. ut ‘Omne animal praeter hominem est irrationale.’ In
omni Exceptione legitima Terminus exceptus debet esse angus-
tior Termino excipiente, sive a quo fit Exceptio, et sub eo con-
tineri; ac etiam debet Terminus excipiens supponere distri-
butive.

Exponitur Exceptiva per duas Exponentes; quarum prior §. 5.
debet esse ejusdem Quantitatis et Qualitatis de Termino ex-
cluso in Subjecto cum ipsa Exceptiva; altera diversae et Quan-
titatis et Qualitatis, in qua Subjectum sit Terminus exceptus,
Praedicatum idem quod totius Exceptivae: ut ista, ‘Omne ani-
mal praeter hominem est irrationale,’ exponitur per istas,
‘Omne animal aliud ab homine est irrationale,’ et ‘Aliquis
homo non est irrationalis;’ et eodem modo reliquae, mutatis
mutandis.

Propositio Reduplicativa est, in qua reperitur Syncategorema §. 6.
Reduplicativum: qualia sunt *qua, quatenus, in quantum, &c.* Propositio
Reduplica-
ut, ‘Homo qua homo est rationalis:’ dicitur et Restrictiva,
et Limitativa Propositio.

Reduplicatio
alia est

Uniformis, quae et Simplex sive Specificativa
dicitur; quum fit Reduplicatio secundum
idem nomen: ut, ‘Homo qua homo est ra-
tionalis;’ atque ista Reduplicatio non fit
nisi in essentiali praedicatione, ubi Praedi-
catum convenit Subjecto quatenus ipsum.
Difformis, sive Composita, quum fit Reduplica-
tio per diversum nomen; sive id sit ge-
neris, et Generica dicitur: ut, ‘Homo qua
animal est sensibilis;’ sive partis, et Par-
tialis vel Synecdochica dicitur: ut, ‘Homo
quantum ad animam est immortalis;’ sive
accidentis, et Accidentalis dicitur: ut, ‘So-
crates quatenus Philosophus disputat.’

Exponitur Reduplicatio per quatuor Exponentes: quarum §. 7.
prima principale Praedicatum attribuit Subjecto; secunda Re-
duplicativum attribuit Subjecto; tertia Praedicatum principale Expositio
universaliter attribuit Reduplicativo; quarta est Causal is Reduplica-
ferens principale Praedicatum ex Reduplicativo: ut ista, ‘Homo
tiva.

qua animal est sensibilis,' exponitur per istas, 'Homo est sensibilis,' et 'Homo est animal,' et 'Omne animal est sensibile,' et 'Quia est aliquid animal, ipsum est sensibile.' Consimiliter de Negativis, et aliis omnibus, mutatis mutandis. Ita secundum Summularios; sed expeditius res tota peragetur, nec minus commode, exponendo simpliciter per unam tantum Causalem: sic ista, 'Homo qua animal est sensibilis,' exponetur sic, 'Quia homo est animal, propterea est sensibilis.'

Quaestiones Capitis Noni.

1. De Exponibilibus in genere.
2. De Exclusivis.
3. De Exceptivis.
4. De Reduplicativis.
5. De aliis Exponibilibus.*

CAP. X.

De Hypotheticis.

§. 1.
Hypothe-
tica in ge-
nere.

PROPOSITIO Composita, sive Hypothetica late, est quae constat ex pluribus Categoricis per conjunctionem aliquam unitis. Estque ea duntaxat triplex: Conditionalis, sive Hypothetica stricte, Copulativa, et Disjunctiva. Causalism enim et Rationalis ad Conditionalem; Adversaria et Comparativa, et Significativa loci aut temporis, ad Copulativam referuntur.

§. 2.
Conditiona-
lis.

Propositio Conditionalis, sive Hypothetica stricte, est in qua plures Categoricae uniuntur per conjunctionem Conditionalem: ut, 'Si homo sit rationalis, est risibilis.' Referuntur huc Causalism: ut, 'Quia homo est rationalis, est risibilis;' et Rationalis, ut 'Homo est rationalis, ergo risibilis:' nisi Rationalis Argumentationibus potius annumeranda sit, utpote apertum Enthymema, quam Propositionibus. Omnis Conditionalis habet vim illativam: unde Categoriarum prior, quae habet rationem inferentis, Antecedens, posterior, quae illatae, Consequens dicitur.

§. 3.
Copulativa.

Propositio Copulativa est in qua plures Categoricae uniuntur per conjunctionem copulativam: ut, 'Homo est rationalis, et brutum irrationale.' Referuntur huc Adversativa: ut, 'So-

* This fifth Question was added in the Third Edition.

crates, etsi non sit Orator, est tamen Philosophus; et Comparativa; ut, ‘Socrates tam est doctus quam Plato;’ et significativa loci: ut, ‘Ubi Socrates legit, Plato disputat;’ aut temporis: ut, ‘Dum Socrates legit, Plato disputat.’

Proprie tamen loquendo,* et secundum doctrinam Aristotelis, Propositio Copulativa non debet censeri in hac classe, nec in Hypotheticis numerari. Copulativa enim non est una Propositio, sed plures Categoricae, unitae quidem specie tenus et quoad vocem, sed sine ulla $\sigma\chi\acute{\epsilon}\sigma\epsilon$ ipsarum inter se quoad rem ipsam. Nec valet omnino ad Syllogismum, sicut valent Conditionalis et Disjunctiva; neque enim datur Syllogismus Copulativus, sicut dantur Conditionalis et Disjunctivus; sed ejus usus est solum in Inductionibus et Exemplis, ubi ex pluribus Propositionibus aequalibus colligitur Conclusio.

Propositio Disjunctiva est, in qua plures Categoricae uniuertuntur per conjunctionem disjunctivam: ut, ‘Aut dies est, aut va. nox est.’

Veritas et falsitas Conditionalis non pendet ex veritate aut falsitate partium, vel unius, vel utriusque, sed ex bonitate aut malitia Consequentiae. Proinde vera est, in qua Consequens sic ab Antecedente dependet, ut sit necessaria consecutio, licet alterum vel utrumque sit falsum: ut, ‘Si homo est lapis, est insensibilis’ falsa, in qua non est necessaria consecutio Consequentis ex Antecedente, licet utrumque sit verum: ut, ‘Si Sol lucet, Socrates currit.’ Sed in Causali, et Rationali, praeter necessitatem consequendi, requiritur veritas utriusque partis, atque ulterius etiam ut veritas Antecedentis sit causa veritatis Consequentis: ut, ‘Quia Sol lucet, dies est:’ quod supponit utrumque, scilicet et lucere Solem, et diem esse, ac insuper illud esse causam hujus.

Veritas Copulativae pendet ex veritate omnium partium: proinde vera est, cujus omnes partes sunt verae: ut ‘Socrates est homo, et animal, et corpus’ falsa, cujus aliqua pars falsa est, licet reliquae sint verae: ut ‘Et dies est et nox.’ Veritas Disjunctivae pendet ex veritate alicujus partis: proinde vera est, cujus una aliqua pars est vera, licet reliqua sit falsa: ut, ‘Aut dies aut nox est’ falsa, cujus omnes partes sunt falsae; ut, ‘Socrates vel est asinus vel lapis.’

* ‘Proprie tamen loquendo—colligitur Conclusio.’ This paragraph was inserted in the Third Edition.

§. 7.
Oppositio
Hypotheti-
carum.

Hypotheticae Quantitatem non habent proprie, nec Qualitatem, praeter quas a suis Categoricis habent: proinde nec eas habent Oppositiones, nec Aequipollentias, quas Categoricae. Unius tantum sunt capaces Oppositionis Contradictoriae, quae fit praeposita particula negationis toti Hypotheticae: unde isti, ‘Si Socrates currit, est animal,’ contradicit ista, ‘Non si Socrates currit, est animal.’ Pari modo se res* habet et in Copulativis ac Disjunctivis.

Quaestiones Capitis Decimi.

1. De Hypothetica late.
2. De Hypothetica stricte, sive Conditionali.
3. De Copulativa.
4. De Disjunctiva.
5. De Oppositione Hypotheticarum.

* ‘res.’ This word is omitted in the Editions subsequent to the First.

LOGICAE ARTIS COMPENDIUM.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De Argumentatione.

DISCURSUS, tertius humanae mentis actus et perfectissimus est: eum dirigit tertia Logicae pars, quae tradit instrumenta Discursus, Argumentationem et Methodum, quarum Argumentatio discurrit inferendo, Methodus ordinando.

Argumentatio est Oratio problemati per illationem faciens fidem. Problema est Propositio quaesita sive Quaestio* quae probanda est; quae eadem postquam illative probata est, Conclusio dicitur, et sequitur notam illativam. Quod eandem praecedit totum, † dicitur Antecedens, et infert Consequens sive Conclusionem. Nota illativa est communiter *Ergo*: interdum dictio aliqua ei aequivalens, ut, *Igitur*, *Proinde*, &c; et in ea consistit Argumentationis nexus omnis: etsi quandoque ad sermonis elegantiam non exprimatur.

{ Materialis: quando Consequens infertur ex Antecedente, non propter modum colligendi, sed sola vi Terminorum, qui sunt Materia Argumentationis: ut ‘Socrates est risibilis, ergo, Aliquis homo est rationalis;’ non enim teneret similis consequentia mutatis Terminis sic, ‘Socrates est risibilis, ergo Aliquis homo currit.’

Formalis: quando Consequens infertur ex Antecedente propter ipsum modum colligendi, qui est Forma Argumentationis: † ut ‘Omne rationale est risibile, Omnis homo est rationalis, ergo Omnis homo est risibilis.’ Teneret enim similis Consequentia in quibuslibet Terminis, eodem modo dispositis, quantumlibet alias dissentaneis.

* ‘sive Quaestio’ inserted in the Second Edition.

† ‘Quod eandem praecedit totum.’ In the latest Editions, ‘Totum

quod eandem praecedit.’

† ‘qui est Forma Argumentationis’ inserted in the Second Edition.

Consequentia alia est

§. 4. Principia generalia bona Consequentiae sunt ista duo. Ex vero nil nisi verum sequitur: proinde nec falsum nisi ex falso sequi potest. Ex falso et falsum sequi potest, et verum: unde sequitur, Consequens verum posse inferri vel a falso, vel a vero Antecedente. Hinc versus,

Ex falsis falsum, verumque aliquando sequetur.
Ex veris possunt nil nisi vera sequi.

§. 5. Argumentatio potest considerari vel quoad formam et modum colligendi, quae generalior est consideratio, vel quatenus* restringitur ad certam materiam, ut suo loco videbitur. Argumentationis Species solent assignari quatuor; Syllogismus, Inductio, Enthymema, Exemplum; sed ad duas omnino possunt referri, quum Enthymema non sit nisi Syllogismus quidam imperfectus, nec Exemplum nisi imperfecta Inductio. Quin et minus principales, quae vocantur, Argumentationes, aut nullius sunt usus, aut ad Syllogismum reducuntur: ut Sorites, et Dilemma, qui sunt Syllogismi quidam redundantes; Sorites Categoricus; Dilemma Hypotheticus.

Quaestiones Capitis Primi.

1. De Analyticis Aristotelis.†
2. De Definitione Argumentationis.
3. De bona et mala Consequentia.
4. De Speciebus Argumentationis.

CAP. II.

De Partibus Syllogismi.

§. I. SYLLOGISMUS est Oratio, in qua, quibusdam positis et concessis, necesse est aliud sequi praeter et propter ea quae posita sunt et concessa. Est is‡ duplex; Categoricus, cuius omnes Propositiones sunt Categoricae; et Hypotheticus, cuius aliqua saltem est Hypothetica late. Utriusque potest considerari tum materiale, tum formale; sed de Hypotheticis suo loco.

* In the First and Second Editions, 'quoad restringitur.' † 'Est is.' In some of the latest Editions, 'Estque.'

† This first Question was inserted

§. 2.
Materia
Syllogismi

Materia Syllogismi	Remota, sunt Simplices Termini, qui in Positionibus Syllogismi subjiciuntur et praedicantur. Proxima, sunt Propositiones, quae ex ejusmodi Terminis conficiuntur.
--------------------	--

Utraque Materia, remota et proxima, ternario numero ita continetur ut, quum sint tres Propositiones totidemque Termini, singulae Propositiones duos Terminos habeant, singuli Termini bis in totius Syllogismi Propositionibus reperiantur.

Termini Syllogismi sunt tres, Major, Minor, et Medius. Medius Terminus dicitur Aristoteli simpliciter Terminus, non nullis Argumentum, plerisque et communiter Medium (ratione scilicet usus, non situs;) reliqui Extremitates sive Extrema dicuntur. Major Terminus, sive Majus Extremum, est Praedicatum Quaestio[n]is: Minor Terminus, sive Minus Extremum, est Subjectum Quaestio[n]is: Medium, sive Argumentum, est Terminus extra Quaestio[n]em, ejus Praedicatum cum Subjecto uniens.

§. 3.
Propositiones Syllogismi

Propositiones Syllogismi sunt tres; Major, Minor, et Conclusio. Conclusio, quae et Complexio, est pars Syllogismi consequens illata ab Antecedente, Majore scilicet et Minore Propositione, quae propterea Praemissae dicuntur. Praemissarum Major Propositio, quae et *κατ' ἔξοχήν* simpliciter Propositio dicitur, est, in qua Medium cum Majore Extremo conjungitur: Minor Propositio, quae et Assumptio, in qua Medium cum Minore Extremo conjungitur: ut in ista, ‘Omne animal est sensibile: Homo est animal, ergo homo est sensibilis;’ *ly* sensibile est Major Terminus, *ly* homo Minor, *ly* animal Medius; *ly* ‘Omne animal est sensibile’ Major Propositio, *ly* ‘Homo est animal’ Minor, *ly* ‘Homo est sensibilis’ Conclusio.

§. 4.
Ordo Propositionum.

Major Propositio fere primum locum obtinet, Minor secundum, Conclusio novissimum in Syllogismo; iste enim est ordo positionum, maxime naturalis. Falluntur tamen qui in Scholis Propositiones secundum hunc ordinem perpetuo metiuntur; contingit enim non raro per crypticam Propositionum transpositionem, ut ordo naturalis varie invertatur; quod, cum quatuor aliis modis fiat, tum frequentius transpositis Majore et Minore. Judicandae proinde sunt ex Terminis qui nunquam fallunt, non ex ordine.

§. 5.
Canones
partium
Syllogismi.

1. In Syllogismo sint* tres tantum Termini. Ubi aut quartus novus Terminus admittitur, aut mutatur significatio vel suppositio alicujus e tribus, vitiosus fit Syllogismus.

2. Medium Conclusionem ne ingrediatur. Nec totum scilicet nec aliqua ejus pars.

3. Conclusio semper sequatur deteriorem partem. Est autem debilior, sive deterior Universalis Particularis, et Negativa Affirmativa.

4. Ne esto plus minusve in Conclusione, quam in Praemissis †.

§. 6.
Syllogismi
Species.

Distribuitur Syllogismus, quoad Qualitatem, in Affirmativam et Negativam: quoad Quantitatem, in Universalem, Particularem, Indefinitam, et Singularem. Attenditur autem Quantitas et Qualitas Syllogismi omnino penes Conclusionem: ita ut, quomodocunque se habeant Praemissae, ille Syllogismus haberi debeat Affirmativus, cuius Conclusio est affirmativa; et Universalis, cuius Conclusio est Universalis.

Quaestiones Capitis Secundi.

1. De Syllogismi nomine* et † definitione.
2. De tribus Syllogismi Terminis.
3. De tribus Syllogismi Propositionibus.
4. De Crypsi Syllogistica. §
5. De variis Syllogismorum Speciebus, et Divisionibus. ||

CAP. III.

De Fundamento Formae Syllogisticae.

§. 1.
Regula
Propositio...
nis.

FUNDAMENTUM Formae et Dispositionis Syllogisticae situm est in illa veritate, naturae lumine satis perspecta: 'Quaecunque duo in aliquo tertio ¶convenirent, eadem et inter se convenire.' Hinc duplex illa nobilissima Regula, quam vocant

* 1. 'In Syllogismo, &c.' The First and Second Editions prefixed here, 'De Syllogismi partibus obseruentur ista.'

† 'in Praemissis.' In the First and Second Editions the Chapter ends with these words.

‡ 'nomine et' inserted in the

Third Edition.

§ In the First and Second Editions, 'De Crypsi Syllogistica per inversionem partium.'

|| Question 5 was added in the Third Edition.

¶ 'convenirent.' In some of the latest Editions 'conveniunt.'

Dictum de Omni et Nullo : quorum Dictum de Omni fundamen-tum est Syllogismorum Affirmativorum, Dictum de Nullo Negativorum.

Dictum de Omni est hujusmodi : Quidquid affirmatur Uni-versaliter de aliquo Subjecto, affirmari necesse est de iis quae sub eo continentur. Dictum de Nullo hujusmodi : Quidquid negatur Universaliter de aliquo Subjecto, negari necesse est de iis quae sub eo continentur. Necessitas illationis ab hoc Dicto de Omni et Nullo vim suam habet omnem, eamque in omnibus Modis et Figuris parem ; sed evidens est illa necessitas in Modis tantum Primae Figurae directis, qui propterea Perfecti dicuntur : reliquorum evidentia necesse habet ostendi per Reductionem ad istos, et propterea Imperfecti habentur.

§. 2.
Dictum de
Omni et
Nullo.

Ex hoc Dicto, velut principio, sequuntur tanquam corollaria, §. 3.
Corollaria. duae Syllogismorum Regulae generales.

1. Ex utraque Praemissa Particulari nihil sequitur. Repug-nat enim Dicto de Omni et Nullo, quo requiritur ut altera saltem Praemissarum sit Universalis.

2. Ex utraque Praemissa Negativa nihil sequitur. Necesse est enim Medium Terminum cum altero Extremorum con-sentire : quod nisi in Affirmativa Propositione fieri non potest. Utramque Regulam disticho complectuntur :

Syllogizari non est ex Particulari ;
Neque Negativis : recte concludere si vis *.

Tradidit† Aristoteles Syllogismorum sex quasdam virtutes §. 4.
Syllogismo-
rum virtu-
tes. sive potestates, itemque vitia sive imbecillitates totidem. Sunt autem illae potestates ;

1. Plura concludendi : in qua fundantur Modi Syllogismo-
rum Indirecti.

2. Ex falsis verum colligendi.

3. Probandi per circulum : quum scilicet ex Conclusione et altera Praemissarum conversa, infertur reliqua.

4. Evertendi per Conversionem : quum scilicet ex opposito Conclusionis et altera Praemissarum evertitur reliqua.

5. Deducendi ad impossibile : quam explicamus infra,
cap. v.

* ‘si vis’. With this Distich the † ‘Tradidit.’ So in the Third Chapter ended in the First and Edition : afterwards ‘Tradit.’ Second Editions.

6. Concludendi ex oppositis: quum scilicet ex Praemissis, aut verbo tenuis aut re ipsa oppositis, Conclusio falsa colligitur; quod fit in Modis tantum Negativis Secundae et Tertiae Figurae.

§. 5.
Syllogismorum
vitia.

Illa vero sex vitia sive imbecillitates Syllogismorum sunt.

1. Petitio Quaesiti: quum id sumitur ad probationem, quod est in Quaestione.

2. Non propter hoc falsum accidere*: quum in deductione ad impossibile hypothesis sumpta ita se habet, ut vel ea dempta nihilominus accidat impossibile ex reliquis Propositionibus.

3. Falsa Ratio: quum ex Propositionibus (Syllogismi vel Prosylogismi) falsitas irrepit in Conclusionem. Nam semper prima falsitas est causa sequentium.

4. Impedimentum Catasylogismi: quia, nisi concedamus duas Propositiones in quibus idem Terminus reperitur, non potest contra nos concludi Syllogistice.

5. Impedimentum Elenchi: quia, nisi concedamus Propositionem aliquam Universalem aut Affirmativam, non potest Thesis nostra everti.

6. Deceptio: qua contingit ut, aliquid scientes, fallamur tamen: quoties scilicet eandem rem, sed diversis respectibus, et sciamus et ignoremus.

De istis omnibus cum potestatibus, tum imbecillitatibus Syllogismorum, consulat qui volet fuse disserentem Aristotelem in secundo libro Priorum Analyticorum.

Quaestiones Capitis Tertii.

1. De Regula Propositionis.
2. De Dicto de Omni et Nullo.
3. An ex puris Particularibus vel Negativis aliquid efficiatur?
4. De Syllogismorum potestatibus †.
5. De Syllogismorum imbecillitatibus.

* ‘accidere.’ So in all Editions † Questions 4 and 5 were inserted
subsequent to the Third, which has in the Third Edition.
‘accedere.’

CAP. IV.

De Tribus Syllogismorum Figuris.*

DUPLICI Syllogismorum Materiae duplex respondet Forma : ^{§. 1.} Forma Syl-
Figura Scilicet et Modus. Horum Figura respicit Terminos, logismorum
Materiam remotam ; Modus Propositiones, Materiam prox-
mam.

Figura est debita Medii Termini cum Extremis dispositio ^{§. 2.} Tres Syl-
quoad subjectionem et praedicationem. Estque ea triplex, pro logismorum
triplici Medii dispositione. ^{Figurae.}

Vel enim
Medium

Praedicatur de uno Extremorum et sub-
jicitur alteri ; quae est dispositio maxime
naturalis, et cum necessitate parit etiam evi-
dentiā : ut in Prima Figura, ubi Medium
est Subjectum in Majore, et Praedicatum in
Minore Propositione.

Praedicatur de utroque : ut in Secunda
Figura, ubi Medium est Praedicatum in utra-
que Praemissa.

Subjicitur utriusque : ut in Tertia Figura, ubi
Medium est Subjectum in utraque Praemissa ;
juxta versum,

Sub. Prae. Prima ; bis Prae. Secunda ; Tertia bis Sub.

Modus est apta Propositionum ordinatio quoad Quantitatem
et Qualitatem.

^{§. 3.} Modi Divi-
sio.

Modus alias
est

Directus, in quo infertur Conclusio directe et
immediate sequens a Praemissis, et factum
cognoscitur, quoties in Conclusionē Major
Terminus praedicatur de Minori.

Indirectus, in quo infertur Conclusio, non
quae ex Praemissis immediate sequitur, sed
quae vi Conversionis sequitur ex illa. Id
factum cognoscitur, quoties in Conclusionē
Minor Terminus praedicatur de Majore.

* So in the first Three Editions. Afterwards, ‘ De Syllogismorum Figuris.’

§. 4.
Modorum
numerus.

Modi sunt omnino distincti 16, qui multiplicati secundum triplicem Figuram faciunt 48; suntque majore adhuc numero si addantur Indirecti. Sed ex illis 16 octo sunt prorsus inutiles; scilicet EE, EO, IE, II, IO, OE, OI, OO, quod adversantur Dicto de Omni et Nullo, et Regulis superiore cap. parag. 3. datis, nisi quod* IE indirecte concludat in *Frisesmo*. Reliqui octo utiles sunt; scilicet AA, AE, AI, AO, EA, EI, IA, OA; habentque in Figuris locum ita ut quatuor in Prima, totidemque in Secunda, in Tertia sex Modi disponantur, omnes directi: qui cum quinque Primae Figurae indirectis his versiculis continentur:

1. Barbara, Celarent, Darii, Ferio; Baralipton,
Celante, Dabitis, Fapesmo, *Frisesmorum*.
2. Cesare, Camestres, Festino, Baroco: 3. Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

In quibus vocabulis tres syllabae totidem signant Propositiones; prima Majorem; secunda Minorem; ultima Conclusiōnem; et propria eujusque syllabae vocalis Quantitatem et Qualitatem Propositionis per syllabam significatae ostendit.

§. 5.
Regulae Fi-
gurarum
Speciales.

Primae Figurae quatuor sunt Modi directi, quinque indirecti, in primis duobus versiculis comprehensi. In hac Figura Conclusio est libera: Major Universalis, ubique Minor Affirmativa. Secundae Figurae sunt quatuor Modi directi ab initio tertii versus: in hac Figura, Minor est libera, Major ubique Universalis, Conclusio Negativa. Tertiae Figurae sunt sex Modi directi; in reliquo tertii, et in toto quarto versu comprehensi: in hac Figura Major est libera, Minor ubique Affirmativa, Conclusio Particularis. Sunt et in Secunda et Tertia Figura Modi indirecti, sed minoris usus; qui propterea negliguntur a plerisque.

* 'nisi quod—*Frisesmo*' inserted in the Third Edition.

		§. 6. Exempla Figurarum.
	1 ^{ma.} { <i>Bar-</i> Omne rationale est risibile. <i>ba-</i> Omnis homo est rationalis: ergo <i>ra.</i> Omnis homo est risibilis.	
Exemplum Syllogismi in Figura,	2 ^{da.} { <i>Ces-</i> Nullus justus est crudelis. <i>a-</i> Omnis tyrannus est crudelis: ergo <i>re.</i> Nullus tyrannus est justus.	
	3 ^{tia.} { <i>Da-</i> Omnis homo est rationalis. <i>rap-</i> Omnis homo est risibilis: ergo <i>ti.</i> Aliquod risibile est rationale.	

Syllogismi et in reliquis Modis ad horum rationem formari possunt, servata recta dispositione Terminorum, et Quantitate et Qualitate Propositionum.

Quaestiones Capitis Quarti.

1. De triplici Syllogismorum Figura.
2. De Modorum numero.
3. De prima Figura et ejus Modis.
4. De secunda Figura et ejus Modis.
5. De tertia Figura et ejus Modis.
6. De Modis Figurarum indirectis.

CAP. V.

De Reductione Syllogismorum.

REDUCTIO est mutatio Syllogismi quoad formam, ut in imperfectis Modis necessitas illationis fiat ex inevidenti evidens. §. 1.
Definitio
Reducuntur ergo Syllogismi Imperfecti ad Perfectos. Perfecti nis.
Reductio
sunt, qui in quatuor directis Modis Primae Figurae concluduntur: imperfecti, qui in reliquis Modis, aut Figuris.

Reductio vel est	{ 1. Ostensiva; fitque sola Propositionum Con- versione, aut transpositione.	§. 2. Reductio duplex.
	2. Ad impossibile; estque quum adversarius ad impossibile aliquod aut absurdum co- gitur.	

Ad Reductionem observandae sunt in Modorum nominibus §. 3.
initiales quatuor literae B, C, D, F, totidemque intermediae, Usus lite-
S, P, M, C. Initiales ostendunt ad quem Modum Primae Figurae riarum in
quilibet Modus sit reducendus: ad eum scilicet qui eandem Reductione,
habet Initialem: ut *Baroco* ad *Barbara*, *Disamis* ad *Darii* &c.

Intermediae ostendunt modum Reductionis; ita ut S notet Propositionem esse convertendam simpliciter; P convertendam esse per Accidens; M Propositiones esse transponendas; C Modum reducendum esse per deductionem* ad impossibile: juxta versus,

S vult simpliciter verti: P vero per Acci.

M vult transponi; C per impossibile duci.

Illud tamen notandum, literam intermedium ad Syllabam vocalis praecedentis pertinere semper, non sequentis.

§. 4. Exemplum Reductionis Ostensivae. Exemplum Reductionis Figurae: cuius initialis D ostendit eum reducendum ad *Darii*; Ostensivae. M transponendas Praemissas: S in prima et ultima syllaba simpliciter convertendas Majorem et Conclusionem, hunc in modum.

Dis- Aliquis tyrannus est injustus.

am- Omnis tyrannus est crudelis: ergo

is. Aliquis crudelis est injustus.

Da- Omnis tyrannus est crudelis.

ri- Aliquis injustus est tyrannus: ergo

i. Aliquis injustus est crudelis.

§. 5. Exemplum Reductionis per impossibile sit Modus *Baroco* Exemplum Reductionis Secundae Figurae: cuius Initialis B ostendit reducendum ad *Barbara*: C reducendum per impossibile. Fit autem talis Reductio, quum ex Contradictoria Conclusionis cum altera Praemissarum infertur Contradictoria alterius Praemissae; Minoris scilicet in Secunda Figura, Majoris in Tertia; juxta versus,

Servat Majorem, mutatque Secunda Minorem;

Tertia Majorem mutat, servatque Minorem.

Reducitur ergo *Baroco* hunc in modum.

Ba- Omne rationale est risibile.

roc- Aliquod animal non est risibile: ergo

o. Aliquod animal non est rationale.

Bar- Omne rationale est risibile.

ba- Omne animal est rationale: ergo

ra. Omne animal est risibile.

* 'deductionem ad.' Inserted in the Third Edition.

Usus talis Reductionis est, ut qui, concessis Majore et Minore, §. 6.
 negat ex illis sequi Conclusionem in Modis Secundae aut Tertiae
 Usus Reductionis
 Figurae, aut indirectis Primae, per absurdam Conclusionem per impossibile.
 alteri concessarum contradictoriam, ex contradictoria Conclusio-
 nis illatam, cogatur tandem agnoscere colligendi necessitatem,
 quam negabat in illis Modis. Atque omnis ejusmodi Argumentatio
 ducens ad impossibile nititur duobus istis fundamentis:
 Contradictoriarum alteram perpetuo esse veram, alteram falsam;
 et, Ex veris nisi vera sequi non posse.

Soli ex omnibus Modis *Baroco* et *Bocardo* signantur litera C: quod illae non alio modo reduci possint, quam per impossibile: non quod illae solae ita reducantur. Nam et Imperfecti omnes reducuntur per impossibile, quamvis non semper ad Modum suaे Initialis. Id quod aliqui conati sunt istis vocibus exprimere, *Nesciebatis*, *Odiebam*, *Letare*, *Romanis*, in quibus quatuor vocales denotant quatuor perfectos Modos, pro ratione Quantitatis et Qualitatis Conclusionum per illas vocales signatarum: scilicet A *Barbara*, E *Celarent*, I *Darii*, O *Ferio*. Deinde tot syllabae tot Modos designant, idque vulgato ordine: ita ut *ly Nesciebatis* significet quinque indirectos Primae: *ly Odiebam* quatuor Secundae: *ly Letare*, *Romanis* sex Tertiae Figurae Modos. Ergo in *ly Romanis*, prima syllaba *Ro* ostendit quartum Modum Tertiae Figurae, scilicet *Datisi*, reducendum esse ad *Ferio*.

Nec Imperfecti solum ad Perfectos, sed et ex Perfectis particulares et minus perfecti ad universales et perfectissimos: hoc est, *Darii* et *Ferio* ad *Barbara* aut *Celarent* reducuntur per impossibile: licet non immediate. Reducuntur enim *Darii* ad *Camestris*, et *Ferio* ad *Cesare* Figurae Secundae Modos per impossibile, eo pacto quo reducuntur Modi Secundae Figurae ad Modos Primae: et tum postea reducuntur ostensive ad *Celarent* in Prima.

Quaestiones Capitis Quinti.

1. De Definitione et Usu Reductionis.
2. De Reductione Ostensiva, et ad impossibile.*
3. De Reductione Indirectorum Primae Figurae.†

* ‘et ad impossibile.’ Added in and Second Edition there was subjoined ‘per impossible.’

the Third Edition.

† ‘Primae Figurae.’ In the First

4. De Reductione Modorum Secundae Figurae.*
5. De Reductione Modorum Tertiae Figurae.
6. De Reductione perfectorum Prima Figurae ad perfec-tissimos.
7. De resolutione Syllogismorum unius Figurae in aliam.†

CAP. VI.

De Inventione Medii Termini.

§. 1. *Usus hujus doctrinae.* COPIA argumentorum ad quodvis problema concludendum pendet ex inventione aptorum Mediorum: de qua, quantum ad Figuras, dari possunt Regulae quaedam generales Figurarum ac Modorum rationi accommodatae; Speciales enim Regulae ex natura Thematum sive Terminorum Problematis ex Locis Topicis colligendae sunt.

§. 2. *Medii inventi- niendi ratio ad Extrema.* Quidquid potest esse Medium in aliquo Syllogismo, erit necessario alterius Extremorum quae in Problemate seu Conclusione continentur, aut Antecedens, aut Consequens, aut Repugnans. Antecedens alicujus Termini est, quod potest ei universaliter subjici: Consequens, quod potest de eo universaliter praedicari: Repugnans, sive extraneum, quod nec ei subjici potest, nec de eo praedicari. Horum autem singula considerari debent ratione habita ad utrumque Extremum; Majorem scilicet Terminum et Minorem. Quorum Major Praedicatum est Conclusionis, Minor Subjectum.

§. 3. *Regulae in- veniendi* Ad inveniendum ergo Medium probandae cuivis Conclusioni aptum, observentur Regulae.

Medium. 1. Si concludenda sit Universalis Affirmativa, quaerendum tale Medium, quod sit Antecedens Majoris Extremi, et Consequens Minoris; et fiet Syllogismus in *Barbara*.

2. Si Particularis Affirmativa, quaerendum Medium, quod vel sit Antecedens Majoris, et Consequens Minoris, et erit Syllogismus in *Darii*: vel Antecedens utriusque, et erit in *Darapti*, *Disamis*, aut *Datisi*.

3. Si Universalis Negativa, quaerendum Medium, quod vel sit Repugnans Majoris, et Consequens Minoris, et erit Syllo-

* In the First and Second Editions, 'De Reductione Secundae Figurae per impossibile,' and to the same effect in Question 5.
† Question 7 was added in the Third Edition.


gismus in *Celarent*, aut *Cesare*; vel Consequens Majoris et Repugnans Minoris, et erit in *Camestres*.

4. Si Particularis Negativa, quaerendum Medium, quod vel sit Repugnans Majoris et Consequens Minoris, et erit in *Ferio*, aut *Festino*; vel Consequens Majoris et Repugnans Minoris, et erit in *Baroco*; vel Repugnans Majoris et Antecedens Minoris, et erit in *Felapton*, *Bocardo*, vel *Ferison*.

5. Si sumatur Medium, quod sit vel Repugnans utriusque Extremi, vel Consequens utriusque, vel Antecedens Majoris, et Repugnans Minoris, nihil colligitur.

Rem omnem subjectum Schema delineat.

§. 4.
Schema de
inventione
Medii.



Cui explicando versiculos excogitarunt,

Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gadaco
Gebali stant: non stant Febas, Hendas, et Hecas.

In quibus versiculis tertia cujusque vocabuli syllaba notat Conclusionem, ejusque syllabae Vocalis Conclusionis Quantitatem et Qualitatem, ut supra. In prioribus syllabis, duarum vocalium A et E, A notat Majus Extremum, sive Praedicatum Quaestionis; E Minus Extremum, sive Subjectum; literarum

§. 5.
Expositio
Schematis.

vero B, C, D, F, G, H, tum in versiculis tum in Schemate, atque etiam Graecarum ad oram Schematis pictarum β , γ , δ , ζ , η , θ , B et β significant Consequens, C et γ Antecedens, D et δ Repugnans Praedicati; F et ζ Consequens, G et η Antecedens, H et θ Repugnans Subjecti: e. g. *ly Fecana* ostendit, quod ad probandam Quaestionem Universalem Affirmativam, sumendum sit tale Medium, quod sit Consequens Subjecti, et Antecedens Praedicati.

§. 6.
Notanda
nonnulla
in hac
materia.

Notandum, 1^o, *Gebali* concludere indirecte tantum, in prima Figura: 2^o, in Conclusione Universali eminenter contineri suam Particularem; et consequenter Modum Particularem idem Medium requirere, quod Modus Universalis ejusdem Figurae sibi affinis; ut *Fecana* non tantum Conclusioni in *Barbara* subservire, sed et in *Darii*. 3^o, *Febas*, *Hebas*, et *Hecas* propterea inutiles esse, quod in *Febas* essent duae Affirmativa in Secunda Figura; in *Hedas* ambae Praemissae essent negativa; in *Hecas* esset Minor negativa in Prima, vel Tertia Figura.

Quaestiones Capitis Sexti.

1. De copia Argumentorum.
2. De Habitidine Medii ad Extrema.
3. De Conjugationibus inutilibus.
4. De Medio respectu Problematis A.
5. De Medio respectu Problematis E.
6. De Medio respectu Problematis I.
7. De Medio respectu Problematis O.

CAP. VII.

De Syllogismis quibusdam Specialibus.

§. 1.
Syllogismi
quidam
Speciales.

SUNT quaedam Syllogismorum formae, quae propter aliquam a superioribus discrepantiam peculiari indigent consideratione: quales sunt Syllogismus Expositorius, Syllogismus ex Obliquis, et Syllogismus Modalis.

§. 2.
Exposito-
rius Sylo-
gismus.

Syllogismus Expositorius est, in quo datur Terminus aliquis et Propositio singularis. Ejus usus praecipuus est in Tertia Figura, in qua saepe Propositiones particulares exponuntur per singulares, quo illationis necessitas evidentius, et paene

ad sensum pateat. Non tamen peculiaris est ejusmodi Expositio Tertiae Figurae, ut nonnullis placuit, sed habet suum usum et in reliquis. Aptissime quidem convenit Tertiae, quod in illa Medium ubique subjiciatur, et Singularium maxime sit* subjici; ut,

Socrates est homo.
Socrates est doctus: ergo
Aliquis homo est doctus.

Syllogismus ex Obliquis est, quum aliquis Terminorum, praeципue vero Medius, est obliquus, de quo breviter tres Regulae observentur.

§. 3.
Syllogis-
mus ex
Obliquis.

1. Extremum in Praemissa obliquum, obliquum maneat et in Conclusione.

2. Medio existente obliquo in altera Praemissa, Extremorum illud quod cum eo in illa conjungitur in Conclusione rectum esto, reliquum vero obliquum: ut ‘Omnis hominis equus currit, Socrates est homo: ergo, Socratis equus currit.’

3. Ex Negativa de Termino obliquo, et Affirmativa de recto, Conclusio sequitur de obliquo.

Syllogismus Modalis est, in quo Propositio, aut Propositiones modificantur. Estque, si omnes modificantur, mere Modalis; sin aliqua sit Modalis, aliqua *de inesse*, Mixtus Syllogismus. In his explicandis paene nimius est Aristoteles, lib. I. Prior. Analyt. Is consulendus: quod nunc agitur, compendium est.

§. 4.
Syllogis-
mus Moda-
lis.

Quaestiones Capitis Septimi.

1. De Syllogismo Expositorio.
2. De Syllogismo ex Obliquis.
3. De Syllogismo mere Modali.
4. De Syllogismo mixte Modali.

* ‘sit subjici.’ In Editions subsequent to the Sixth, ‘sit proprium subjici.’

CAP. VIII.

De Enthymemate et Sorite.

§. 1.
Enthymematis De-
finitio.

SYLLOGISMIS secundario dieti sunt aut Deficientes, aut Redundantes: Deficiens est * Enthymema. Est autem Enthymema Logicum (nam Rheticum aliud est rationis) Argumentatio, in qua ex una Praemissa infertur Conclusio: ut, ‘Socrates currit, ergo est animal.’ Deficit autem Enthymema non reipsa, sed quoad enunciandi modum; nec deest altera Praemissa, ut quam Termini sufficiunt, sed reticetur. Utimur Enthymemate, aut brevitatis gratia, quum Praemissa quam supprimimus est evidens; aut fugae et occultationis, quum est infirma; aut ornatus, ne impediatur orationis flumen.

§. 2.
Reductio
Enthymematis ad
Syllogis-
mum.

Enthymema ad Syllogismum reducitur per additionem illius Praemissae quae deest, Majoris scilicet vel Minoris. Utra vero harum desit cognoscitur ex Terminis. Deest enim Major, si Subjectum Consequentis reperiatur in Antecedente; si vero † Praedicatum Consequentis reperiatur in Antecedente, tum deest Minor. Propositio autem quae supplenda est, ex duabus illis Terminis confici debet, qui semel tantum reperiuntur in Enthymemate. Consequutio Enthymematis in Scholis Argumentum dici solet; quae si sit falsa et independens, negamus Argumentum sive Consequentiam.

§. 3.
Prosyllogis-
mus.

Syllogismus Redundans virtualiter continet plures Syllogismos, eosque vel Inaequaliter, vel Aequaliter. Inaequaliter plures complectitur, qui alicui Praemissae principali Prosyllogismum adjungit, qui eam confirmet aut illustret: ut,

Nullus injustus est amandus.

Omnis tyrannus, crudelis quum sit, est injustus: ergo

Nullus tyrannus est amandus.

§. 4.
Resolutio
Prosyllo-
gismi.

Resolviturque in plures, si praeter principalem Syllogismum, ex Prosyllogismo, tanquam Antecedente, et Praemissa cui additur tanquam Consequente, fiat Enthymema; illudque tandem, quo dictum est modo, educatur ad perfectum Syllogis-

* ‘est.’ In the later Editions, the First and Second Editions: ‘si vocatur.’

† ‘si vero—supplenda est.’ In addenda est.’

rum. Incommode* loquuntur in Scholis, qui inter disputandum penultimum Syllogismum Prosylogismum vocant; quum potius posterior quisque Syllogismus inter disputandum sit Prosylogismus prioris, utpote ad aliquam ejus Praemissam confirmandam adhibitus; perpetuo enim quod in Genesi prius est, id est posterius in Analysis, et e converso.

Syllogismus Redundans, qui virtualiter et aequaliter continet plures, Sorites dicitur. Est autem Sorites Argumentatio in qua plures Propositiones ita coacervantur, ut Praedicatum prioris Propositiones perpetuo subsumatur velut† Subjectum sequentis, donec tandem ultimum Praedicatum cum primo Subjecto componatur: ut,

Omnis homo est animal.
Omne animal est vivens.
Omne vivens est corpus.
Omne corpus est substantia: ergo
Omnis homo est substantia.

Sorites vim habet in Terminis duntaxat necessario subordinatis: subordinatione scilicet vel Praedicamentali, vel Causali. Fundatur hoc argumentandi genus in Prima Regula Antepraedicamentali; et eodem modo intelligendum est quo illa. Resolvitur Sorites in tot Syllogismos in *Barbara*, quot sunt Termini‡ subsumpti ante Conclusionem; qui§ singuli erunt Media singulorum Syllogismorum: proinde in dicto exemplo sunt virtualiter tres Syllogismi; quorum|| primi Medium erit *ly Animal*, secundi *ly Vivens*, tertii *ly Corpus*.

§. 6.
Soritis leges
et resolutio

Quaestiones Capitis Octavi.

1. De Enthymemate.
2. De Prosylogismo.
3. De Sorite.

* ‘Incommode.’ In the First Edition, ‘Praemissae.’

Edition, ‘Improprie.’ § ‘qui—Syllogismorum.’ Inserted in the Second Edition.

† ‘subsumatur velut.’ In the First Edition, ‘perpetuo sit Subjec-tum.’ || ‘quorum—Corpus,’ added in the Second Edition.

‡ ‘Termini subsumpti.’ In the

CAP. IX.

De Syllogismo Hypothetico.

§. 1. SYLLOGISMUS Hypotheticus est, in quo reperitur Propositio aliqua Hypothetica. Estque vel pure, vel ex parte solum Hypotheticus. Pure Hypotheticus est, cuius omnes Propositiones sunt Hypotheticae: ut

Si Socrates sit homo, est animal.

Si Socrates sit rationalis, est homo: ergo

Si Socrates sit rationalis, est animal.

Reduciturque ad Categoricum in *Barbara*, remoto tantum Subjecto Antecedentis: sic

Omnis homo est animal.

Omne rationale est homo: ergo

Omne rationale est animal.

§. 2. Syllogismus ex parte Hypotheticus est, cuius tantum Major Propositio est Hypothetica. Estque Conditionalis, et Disjunctivus; Copulativus enim non datur, nisi negativus, qui ad Disjunctivum pertinet. Conditionalis, sive stricte Hypotheticus est, qui constat ex Majore Conditionali.

Ejus duplex forma est: scilicet,

- 1. A positione Antecedentis ad positionem Consequentis: ut, 'Si est homo, est animal; sed est homo: ergo est animal,' non e converso.
- 2. Ab eversione Consequentis ad eversionem Antecedentis: ut, 'Si est homo, est animal; sed non est animal: ergo non est homo,' non e converso.

§. 3.
Reductio
Conditionalis ad
Categoricum.

Reducuntur Conditionales ad Categoricos. Conditionales prioris formae ad Modos Primae Figurae, in quibus Minor est Affirmativa; posterioris vero ad Modos Secundae, in quibus Minor est Negativa. In utraque Major Conditionalis debet fieri Categorica, conjungendo Praedicata Antecedentis et Con-

sequentis, omissis Subjectis utriusque : ut in superioribus exemplis Major sic fit Categorica, ‘Omnis homo est animal.’

Syllogismus Disjunctivus est, qui constat ex Majore Disjunctiva. Ejus unica tantum est forma simpliciter necessaria, scilicet a negatione reliquarum partium ad positionem unius : ut, ‘Aut dies aut nox est; At dies non est: ergo Nox est.’ A positione vero unius ad negationem reliquarum, ibi duntaxat necessitatem habet, ubi Termini Disjuncti ita immediate sunt oppositi, ut necesse sit unum inesse Subjecto, reliquum non inesse. Reducitur autem Disjunctivus ad Categoricum, mutando Majorem disjunctivam primo quidem in Conditionalem, tum vero deinceps in Categoricam.

Hypotheticus Redundans dicitur Dilemma. Est autem Dilemma Argumentatio, quae, facta disjunctione membrorum, ita adversarium constringit utrinque, ut quamlibet interrogations partem accipiat, causa tamen cadat. Dicitur et Cornutus Syllogismus, quod utrinque adversarium velut cornibus petat et feriat : ut, ‘Uxorem si ducas formosam, habebis communem : si deformem, poenam : ergo nulla ducenda.’

Dilemma ita comparari debet, ut, 1°. Disjunctio sit plena ; 2°. Utraque pars feriat ; 3°. Non possit retorqueri. Resolvitur in unum Syllogismum Hypotheticum, ab eversione Consequentiū ad eversionem Antecedentis, et plures Categoricos, ita ut ex singulis membris Minoris cum suis Prosylllogismis fiant singuli Categorici.

Quaestiones Capitis Noni.

1. De Syllogismo mere Hypothetico.
2. De Syllogismo Conditionali.
3. De Syllogismo Disjunctivo.
4. De Dilemmate.

CAP. X.

De Inductione et Exemplo.

INDUCTIO est argumentatio, quae ex singularibus, sive particularibus, sufficienter enumeratis colligit Universale. Ea explicata est, si omnia Particularia enumerentur expresse :

implicita, si aliquibus expresse numeratis, reliqua, adjecta aliqua clausula, ut, ‘et sic de caeteris,’ &c. quamvis brevitatis studio non expressa, intelligi tamen significantur: ut, ‘Iste magnes trahit ferrum, et ille, et hic, et pariter se habet in reliquis: ergo omnes magnes trahit ferrum.’ Estque* Inductio alia Affirmativa, alia Negativa.

§. 2.
Inductionis
vis.

Inductio est utile† admodum et potens argumentandi genus, ut quo probentur prima Principia, et Universalissima: quorum non dantur causae, nec universaliora, per quae possunt probari. Nititur autem Inductio ‡ hoc principio velut fundamento necessario, ‘Quod omnibus inferioribus convenit, id toti superiori convenire.’ Evertitur Inductio, si fiat exceptio, aut instantia in contrarium.

§. 3.
Exemplum.

Exemplum est Argumentatio, in qua ex singulari notiore infertur simile ignotius. Fitque duobus modis; nam aut suadendae quaestioni universalis affertur, aut singulari. Universalis, ut si ostenderes exemplo Marii et Syllae duos summos Principes laceraturos Rempublicam: Singulari, ut si ostenderes eodem exemplo Caesarem et Pompeium laceraturos Rempublicam.

§. 4.
Exempli
vis.

Exemplum potest esse vel unius singularis vel plurimum, modo omnium non sit. Est Exemplum omnium Argumentationum inefficacissimum; illustrat enim magis, quam probat; nec tam cogit, quam suadet: ut quod fundamento nitatur tantum probabili, Similibus scilicet eadem aut similia convenire. Evertitur Exemplum facilime, si dissimilitudinis ratio ostendatur.

Quaestiones Capitis Decimi.

1. De Inductione.
2. De Exemplo.

CAP. XI.

De Fine et Praecognitis Demonstrationis.

§. 1.
Argumen-
tationis

ARGUMENTATIO, quatenus contrahitur ad certam materiam, (nam de formali et incontracta hactenus egimus) vel Apodeictica

* ‘Estque——Negativa.’ Added to the Second, ‘Utilis.’
in the Third Edition. ‡ ‘autem Inductio,’ inserted in
† ‘utile.’ In Editions subsequent the Third Edition.

est, quae et Demonstratio; vel Dialectica, quae et Syllogismus Species Topicus; vel Sophistica, quae et Elenchus, sive Fallacia ^{quoad Materiale.*} dicitur.

Differunt ista ex parte	<table border="0"> <tr> <td>Medii :</td><td>Demonstratione, Necessarium.</td></tr> <tr> <td>quod</td><td>Topico Syllogismo, Probabile.</td></tr> <tr> <td>est in</td><td>Elencho, Captiosum.</td></tr> </table> <table border="0"> <tr> <td>Finis :</td><td>Demonstratione, Scientia.</td></tr> <tr> <td>qui est</td><td>Topico Syllogismo, Opinio.</td></tr> <tr> <td>in</td><td>Elencho, Deceptione.</td></tr> </table>	Medii :	Demonstratione, Necessarium.	quod	Topico Syllogismo, Probabile.	est in	Elencho, Captiosum.	Finis :	Demonstratione, Scientia.	qui est	Topico Syllogismo, Opinio.	in	Elencho, Deceptione.
Medii :	Demonstratione, Necessarium.												
quod	Topico Syllogismo, Probabile.												
est in	Elencho, Captiosum.												
Finis :	Demonstratione, Scientia.												
qui est	Topico Syllogismo, Opinio.												
in	Elencho, Deceptione.												

Demonstratio est Syllogismus faciens scire. Scire autem unumquodque dicimur, quum causam cognoscimus propter quam res est, quod illius rei causa sit, nec possit res aliter se habere. Unde duplex oritur Scientiae certitudo: altera Objecti, vel Scibilis, quando rei causa proxima apprehenditur; altera Subjecti, vel Scientis, quando sciens certus est rem non posse aliter se habere. Per illam distinguitur Scientia ab Errore: per hanc et ab Opinione, quae includit in ratione sui formidinem oppositi.†

Omnis Scientia est Conclusionis; oriturque ex praecedente cognitione Praemissarum. Praecognita autem eujusque Scientiae sunt tria; Subjectum, Passio, et Dignitas sive principium. §. 3. De Praecognitionis et tamen. Modi autem quibus ista praecognoscuntur, Praecognitiones appellantur; suntque duae, Quod sit, et Quid sit.

Subjectum est Minor Extremitas, quae in quaesito subjicitur, §. 4. Subjecti et de qua Passio demonstranda est: ut Homo. De eo utrum Praecognitionis que praecognoscendum est, et Quod sit, et Quid sit. Quod sit, tio. quia alias frustra quaereretur Scientia de eo; de non ente enim non est Scientia: Quid sit vero, non Nominis solum, sed et Rei; cum quid sit rei Subjecti, sit Medium Demonstrationis; et Medium praecognosci necesse est Conclusioni, saltem confuse. Praecognitio Quod sit, dicitur Hypothesis; Quid sit, Definitio.

Passio est accidens proprium, de Subjecto demonstrabile; Praecognitionis etque semper Major extremitas, quae in Conclusione praeditio Passio-

* In some of the latest Editions, 'Materiam.'

finitio.'

† 'Per illam—oppositi.' Added in the Second Edition.

First Edition. The Second and Third omit the marginal note. Later Editions have 'Demonstrationis De-

§ 'et Dignitas, sive principium.' In the First and Second Editions, 'Passio, Dignitas. Modi autem.'

catur : ut Risibile. Ipsam necesse est praecognosci Quid sit ; Nominis dico, non Rei, nam Subjectum ingreditur ejus quid sit Rei. Non vero praecognoscitur quod sit ; illud enim est ipsummet Quaesitum, cuius Scientiam investigamus per Demonstrationem.

§. 6.
Praecogni-
tio Digni-
tatis.

Dignitas, sive principium, est Propositio per se nota,* in qua Passio cum Definitione Subjecti conjungitur, estque semper Major Propositio Demonstrationis : ut, ‘Omne animal rationale est risibile.’ Ea cognita virtualiter cognoscitur Conclusio, et in ea virtualiter continetur ; quae tamen non actu cognoscitur, donec assumatur Minor : quibus cognitis, etsi natura posterius, tamen simul tempore cognoscitur Conclusio. Dignitas praecognosci non potest *quid sit*, quum sit Propositio complexa, et *quid sit* sit tantum incomplexorum : praecognosci tamen debet *quod sit*, hoc est, quod sit vera : alias non posset facere fidem Conclusioni.

Quaestiones Capitis Undecimi.†

1. De speciebus Argumentationis quatenus ad Materiam certam restringitur.
2. Sitne Scientia, et Demonstratio ?
3. An aliquid sciatur de novo ?
4. De fine et usu Demonstrationis.
5. An omnis doctrina discursiva sit ex praeexistenti cognitione ?
6. De Praecognitorum numero.
7. De Praecognitione Subjecti.
8. De Praecognitione Passionis.
9. De Praecognitione Dignitatis.
10. An cognitis Majore et Minore, simul tempore cognoscatur Conclusio ?
11. De prima Definitione Demonstrationis.
12. De Definitione ipsius Scire.
13. De Scientiarum Subalternatione.

* ‘sive—nota.’ In the First and Second Editions, ‘est principium per se notum.’

† Questions 2, 3, 4, and 13 do not appear in the First or Second

Edition. The Second Edition subjoins a tenth Question, ‘An Opinio includat in ratione sui formidinem oppositi?’

CAP. XII.

De Conditionibus Propositionum Demonstrationis Absolutis.

DEMONSTRATIONIS Definitio prior erat ex finali: alteram exhibet Aristoteles ex materiali, talem. Demonstratio est Syllogismus ex veris, primis, et immediatis, et notioribus, et prioribus, et causis Conclusionis. In qua Definitione quinque ponuntur Conditiones Propositionum seu Praemissarum in Demonstratione; quarum duae priores Absolutae sunt, et ipsas respiciunt Propositiones in se consideratas, Necessitas scilicet et Immedietas; reliquae Relatae sunt, sive Comparatae, et respiciunt Propositiones in habitudine ad Conclusionem.

Prima Conditio Necessitas est: oportet enim omnes Propositiones in Demonstratione esse necessarias. Sunt autem tres gradus. Necessitatis gradus, de Omni, per se, et Universale primum, sive Quatenus ipsum.

De Omni Propositio tunc esse censetur, quum Praedicatum Subjecto et omni inest, et omni tempore: ut 'Homo est animal.' Diciturque de Omni Posterioristicum, ad disserimen Propositionis Universalis Quantitatis, quae de Omni Prioristicum dicitur. Differt autem hoc ab illo, quod ad Prioristicum sufficit Universalitas Subjecti, ad Posterioristicum praeter Subjecti requiritur et Temporis Universalitas: in illo Universalitas attenditur ex signo Universalis, in hoc, ex naturali habitudine Praedicati ad Subjectum, quantumvis absit universale signum.

Per se Propositio tunc esse censetur, quum est in aliquo Modorum dicendi per se, sed praesertim quum est in primo vel secundo Modo. Tertius enim Modus est inutilis omnino ad Demonstrationem, et quartus Modus ad Potissimam Demonstrationem, nisi in quantum est reducibilis ad primum vel secundum. Sunt ergo quatuor Modi dicendi per se; quibus opponuntur tres Modi dicendi per accidens.

Primus Modus dicendi per se est, quando Praedicatum est de Definitione Subjecti: ut ista, 'Homo est animal.' Praedicatum autem est de Definitione Subjecti, vel actu, ut Genus proximum, Differentia proxima, et ex eis constans integra Definitio; vel implicite, ut Genus remotum, et Differentia remota.

§. 1.
Secunda
Definitio
Demonstra-
tionis.

§. 2.
Necessitatis
gradus.

§. 3.
Propositio
de Omni.

§. 4.
Propositio
per se.

§. 5.
Primus
Modus Per-
seitatis.

§. 6. Secundus Modus dicendi per se est, quando Subjectum est de Definitione Praedicati. Id quod fit, quoties propria affectio una, aut per se, aut per divisionem adaequatam de proprio Subjecto praedicatur: ut, ‘Homo est risibilis,’ ‘Numerus est par aut impar.’ His duobus Modis dicendi per se opponitur primus Modus dicendi per accidens, quum neuter Terminorum est de Definitione alterius; quod fit quoties Accidens commune praedicatur de Subjecto, aut e contra; ut ‘Corvus est niger.’

§. 7. Tertius Modus dicendi per se est, quando existentia praedicitur de substantia, quod fit, quoties in Propositione quam vocant secundi adjacentis Terminus substantialis subjicitur: ut, ‘Homo est.’ Huic opponitur secundus Modus dicendi per accidens, quum existentia de accidenti praedicatur: ut, ‘Albedo est.’

§. 8. Quartus Modus dicendi per se est, quando Causa externa, Efficiens nimirum vel Finis, praedicatur de suo Effectu, aut vicissim Effectus de ipsa: ut, ‘Jugulatus interiit.’ Ei opponitur tertius Modus dicendi per accidens, quum Causa fortuita de Effectu praedicatur, aut contra: ut, ‘Socrate ambulante coruscavit.’

§. 9. Propositio quatenus ipsum. Quatenus ipsum, sive Universalis* primum (qui tertius Necessitatis gradus est) Propositio tunc esse censetur, quando Praedicatum ita universaliter Subjecto attribuitur, ut primo ei insit, et cum eo reciprocetur: ut, ‘Homo est risibilis.’ Hic gradus Necessitatis omnium est perfectissimus, et supponit priores duos. Omnes Propositiones secundi Modi dicendi per se sunt quatenus ipsum: illae etiam primi Modi, in quibus aut Differentia proxima, aut tota Definitio praedicatur de Specie.

§. 10. Quo gradu Propositiones debent esse necessariae. In omni Demonstratione omnes Propositiones debent esse de Omni, et Conclusio etiam per se secundo Modo. In Demonstratione autem simpliciter† Potissima requiritur, ut omnes Propositiones habeant singulos Necessitatis gradus, ut sint et de Omni, et per se, et quatenus ipsum.

§. 11. Immedietas duplex. Secunda absoluta Conditio Propositionum in Demonstratione est Immedietas.

* ‘Universalis.’ So in all the Editions: not ‘Universale,’ as in §. 2. † ‘simpliciter.’ Inserted in the Third Edition.

- Estque ea duplex {
1. Subjecti ; quando Praedicatum inest Subjecto, nullo mediante alio Subjecto, cui prius insit : id quod fit in omni Propositione quatenus ipsum ; ut, ‘Homo est risibilis.’
 2. Causae ; quando Praedicatum inest Subjecto, nulla mediante Causa propter quam insit : id quod fit in Propositionibus primo et per se notis : ut, ‘Totum est majus sua parte.’

Immedietas Causae perfectior est Immediatae Subjecti. Propositiones ergo dicuntur primae atque immediatae, quarum non datur Medium, aut inessendi Praedicati in Subjecto, aut demonstrandi Praedicatum de Subjecto.

Conclusio in omni Demonstratione debet esse immediata Immediatae Subjecti, sed nunquam Immediatae Causae, quia habet semper demonstrari per Medium. Dignitas sive Major Propositio utraque Immediatae talis sit. Atque etiam Minor Propositio in Demonstratione Potissima, in ea enim utraque Praemissa debet esse principium per se notum et indemonstrabile, ac proinde primum et immediatum etiam Immediatae Causae.

§. 12.
Qualis Im-
mediatas
requiritur
in Proposi-
tionibus.

Quaestiones Capitis Duodecimi.

1. De secunda Definitione Demonstrationis.
2. De tribus gradibus Necessitatis.
3. De gradu de Omni.
4. De gradu per se, et quatuor ejus Modis.
5. De primo Modo dicendi per se.
6. De secundo Modo dicendi per se.
7. De tertio Modo dicendi per se.
8. De quarto Modo dicendi per se.
9. De utilitate aut inutilitate dictorum Modorum ad Demonstrationem.
10. De gradu quatenus ipsum.
11. De Necessitate requisita in singulis Propositionibus Demonstrationis.
12. De dupli Immediatae.
13. De Indemonstrabilitate Principiorum.
14. De variis Principiorum divisionibus et speciebus.*

* This fourteenth Question was added in the Third Edition.

CAP. XIII.

De Conditionibus Propositionum relatis.

§. 1.
Conditiones Propositionum respectu Conclusio-
nis.

RELIQUAE conditiones in Definitione Demonstrationis con-
veniunt Propositionibus quatenus Praemissae sunt, hoc est
cum respectu ad Conclusionem, quas proinde Relatas seu
Comparatas diximus. Sunt eae tres, Prioritas, Notioritas,
Causalitas; debent enim Praemissae esse Piores, Notiores, et
Causae conclusionis.

§. 2.
Prioritas Praemissa-
rum.

Prius dicitur, quod potest esse sine altero, sed non illud sine
ipso, ut Binarius prior est Ternario. Principia ergo sive Prae-
missae piores sunt Conclusione, licet non tempore, (nam Con-
clusio vera est, quamprimum Praemissae verae sunt) natura
tamen; nam Conclusio vera est propter Praemissas, non illae
propter hanc. Hinc Praemissae dicuntur Principia Essendi
Conclusionis.

§. 3.
Notioritas Praemissa-
rum.

Notius dicitur, quod potest a nobis cognosci sine altero, sed
non illud sine ipso: ut, Binarius notior est Ternario. Prae-
missae ergo sunt notiores nobis Conclusione; alias enim non
possunt efficere in nobis cognitionem Conclusionis, quia propter
quod unumquodque est tale, illud ipsum necesse est sit magis
tale. Licet enim Singularia et Effectus, quorum est Conclusio,
sunt nobis notiora Universalibus et Causis, quorum sunt Prae-
missae, simpliciter et cognitione confusa, distincta tamen et
accurata cognitione, Universalia et Causae sunt etiam nobis
notiora, et non natura tantum, Singularibus et Effectibus.
Hinc Praemissae dicuntur Principia cognoscendi Conclusionem.

§. 4.
Causalitas Praemissa-
rum.

Ex duabus istis Conditionibus sequitur tertia, quae est Cau-
salitas. Praemissae enim, si sint et piores quoad naturam, et
quoad nos notiores Conclusione, Causae etiam ejus sint necesse
est: unde et Principia audiunt. Neque hoc Cognoscendi solum,
et respectu consequentiae Conclusionis (tales enim sunt Prae-
missae in omni Syllogismo recte formato;) sed, quod Demon-
strationi peculiare est, Essendi etiam, et respectu inhaerentiae
Praedicati in Subjecto; nam Medium, quod est in Praemissis,
est causa Affectionis, quae est in Conclusione.

Quaestiones Capitis Decimitertii.

1. De Prioritate et Notioritate Praemissarum in Demonstratione.
2. An Universalia in praedicando sint nobis notiora Particularibus ?*
3. An Universalia in causando sint nobis notiora Effectibus ?

CAP. XIV.

De Demonstrationis variis gradibus.

QUAE hactenus de Demonstratione dicta sunt simpliciter, de perfectissima duntaxat Demonstratione, quam Potissimum vocant, intelligenda sunt absolute; aliis vero Demonstrationis speciebus vel gradibus potius convenienter solum per analogiam ad Potissimum; idque secundum magis et minus pro diverso gradu perfectionis; quod ut cognoscatur plenius, considerandi sunt Demonstrationum gradus; atque ut illi, Quaestionum Scibilium numerus.

Quaestiones Scibles sunt quatuor, quarum duae sunt simplices, *An sit*, et *Quid sit*; duae complexae, *Quod sit*, et *Propter quid sit*. *An sit* quaerit existentiam Subjecti, vel Praedicati: ut, ‘An sit Luna?’ ‘An sit Eclipsis?’ *Quid sit* duplex est, vel Nominis, vel Rei. *Quid sit* Nominis quaerit significationem vocis: ut, ‘Quid Luna significet?’ *Quid sit* Rei quaerit Definitionem Rei per vocem significatae: ut, ‘Quid sit Luna?’ † Hae Quaestiones quum sint simplices, habent praecognosci ante Demonstrationem, non sciri per Demonstrationem. Quaestio Demonstrationis est quaestio Conclusionis, et proinde complexa.

Quaestionum complexarum *Quod sit*, sive *Utrum sit* quaerit connectionem Praedicati Propositionis cum Subjecto: ut, ‘Utrum Luna sit Eclipsabilis.’ *Cur sit*, sive *Propter quid sit*, quaerit causam connexionis Praedicati cum Subjecto: ut, ‘Cur Luna eclipsetur?’ Harum quatuor Quaestionum tertia se habet ad quartam, ut prima ad secundam; tunc enim quaerimus

* The First Edition has for the second Question, in addition to the three here given, ‘An quod efficit tale, sit magis tale?’

† In the First Edition, ‘Quid est Luna?’

Quid sint in Simplicibus Terminis, quum novimus esse ; et tunc quaerimus *Cur sint* in Propositionibus, quum novimus quod sint.

§. 4.
Demonstra-
tio quod et
propter
quid.

Ex dupli ergo ista Quaestione, $\delta\tau i$ et $\delta\iota\sigma\tau i$, oritur duplex Demonstratio. Prior et imperfectior, quae dicitur Demonstratio $\delta\tau i$, sive Demonstratio *quod sit*, probat tertiam quaestionem, scilicet Praedicatum illud inesse illi Subjecto. Posterior et perfectior, quae dicitur Demonstratio $\delta\iota\sigma\tau i$, sive Demonstratio *propter quid*, probat quartam quaestionem, scilicet Praedicatum illud propter illam causam inesse illi Subjecto. Utraque rursus aut Universalis est aut Particularis, atque iterum aut Affirmativa aut Negativa.

§. 5.
Demonstra-
tio Univer-
salis et Par-
ticularis.

Demonstratio Universalis est, in qua demonstratur Praedicatum inesse Subjecto, cui primo inest et immediate : ut, si demonstretur sensibilitas de animali. Particularis est, in qua demonstratur Praedicatum inesse Subjecto, cui non inest primo et immediate : ut, si demonstretur sensibilitas de homine. Unde ista Conclusio, ‘Omnis homo est sensibilis,’ facit Syllogismum Universalem quidem Prioristice, sed Posterioristice non ; quia non est quatenus ipsum, et Universalis primum.

§. 6.
Demonstra-
tio Affirma-
tiva et Ne-
gativa.

Demonstratio Affirmativa est, in qua Affectio demonstratur inesse suo primo Subjecto, vel alicui ejus parti : ut sensibilitas inesse animali vel homini. Negativa est, in qua Affectio demonstratur non inesse ei, quod nec est ejus primum Subjectum, nec Subjecti pars : ut sensibilitas non inesse lapidi.

§. 7.
Comparatio
harum om-
nium inter
se.

Demonstratio Universalis nobilior est Particulari, et Affirmativa Negativa : non tamen absolute, et simpliciter, sed caeteris paribus. At Demonstratio *propter quid* simpliciter prior et nobilior est Demonstratione *quod* : unde quaelibet Demonstratio *propter quod*, licet Particularis aut Negativa, nobilior tamen est quavis Demonstratione *quod*, quantumvis Affirmativa et Universalis. Est et Demonstrationis, praeter dictos, gradus quidem aliis : Demonstratio scilicet ducens ad impossibile, omnium infima, et vix digna quae Demonstrationibus annumeretur : quae tamen ingentem habet usum, et est propterea a bonis auctoribus recepta.*

§. 8.
Demonstra-
tio ab Ef-
fectu.

Demonstratio *quod* duobus fit modis. Altero, quum Causa demonstratur inesse Subjecto per Effectum proximum ; ut, Rationalitas homini per Risibilitatem ; et dicitur Demonstratio ab

* ‘quae tamen—recepta.’ Added in the Second Edition.

Effectu. In tali Demonstratione Medium est Effectus proximus; Praedicatum Conclusionis Causa ejus: Major Propositio est in primo vel saltem quarto Modo dicendi per se; Minor in secundo, si sit Demonstratio, ut fere est, Affirmativa, sive Prima Figurae.

Altero modo fit Demonstratio *quod*, quum Effectus demonstratur inesse Subjecto per Causam remotam non reciprocum, vel potius demonstratur non inesse ei quod non est ejus Subjectum per talem Causam, et dicitur Demonstratio a Causa remota. Est autem talis Demonstratio vix alia quam Negativa, et consequenter Secundae Figurae in *Camestres*; nam ejus Medium est Causa remota non reciproca, quae in Majore Propositione conjungenda est cum Effectu, in Minore removenda a non Subjecto; non enim potest conjungi cum Subjecto in Minore nisi esset reciproca cum eo: ut si probetur lapidem non respirare, quia non est animal. In tali Demonstratione Major debet esse de omni, et per se quarto Modo: sed nulla Propositio immediata.

Ex praedictis liquet,* Demonstrationem varias subire posse distributiones, pro varia sui ratione. Est enim Demonstratio, spectata quoad

1. Quantitatem, alia Universalis, alia Particularis.
2. Qualitatem, alia Affirmativa, alia Negativa.
3. Modum procedendi, alia Ostensiva, alia deductiva ad impossibile, vel absurdum.
4. Ordinem, alia a Priori, alia a Posteriori.
5. Medium, alia a Causa, alia ab Effectu.
6. Finem, alia demonstrans quod sit, alia cur sit.
7. Vim, alia potens, alia potior, alia potissima.

§. 9.
Demonstratio a Causa remota.

§. 10.
Demonstrations variae Divisiones.

Quaestiones Capitis Decimiquartii.

1. De quatuor quaesitis.
2. De Demonstratione Universali et Particulari.
3. De Demonstratione Affirmativa et Negativa.
4. De Demonstratione Ostensiva et ducente ad Impossibile.
5. De Demonstratione *quod*, ab Effectu.
6. De Demonstratione *quod*, a Causa remota non reciproca.
7. De Demonstrationis speciebus et divisionibus aliis.†

* The entire tenth paragraph was added in the Third Edition.

† This seventh Question was added in the Third Edition.

CAP. XV.

De Demonstratione διότι.

§. 1.
Quatuor
Causarum
genera.

DEMONSTRATIO propter quid non omnis est Potissima, sed habet suos quosdam gradus; in omni tamen Medium est aliqua causa Passionis. Causarum autem genera sunt quatuor.

Est omnis Causa vel	Interna, eaque vel	1. Materialis, ex qua res fit: ut statuae aes.
		2. Formalis, per quam res fit: ut statuae propria sua figura.
Externa, eaque vel	3. Efficiens, a qua res fit: ut statuae Polycletus.	
	4. Finalis, propter quam res fit: ut statuae memoria Viri alicujus illustris.	

§. 2.
Ex quibus
Causis pos-
sit demon-
strari.

Demonstrari non potest per omnia Causarum genera. Sunt enim e Causis Materialis et Formalis, qua tales, simpliciter inutiles Demonstrationi; quamvis enim Materia Subjecti possit esse aliquando, et in Potissima forma Subjecti semper sit Medium, hoc tamen fit quatenus sunt Efficientes Affectionis praeceps; nam Causa Effectus demonstrandi est Medium; is autem* Affectio est, non Subjectum. Relinquuntur ergo externae † tantum Causae, Finalis et Efficiens. Demonstrationes per Finalem Causam Potissimam contingit fieri in Artibus et Prudentiis; in quibus res aguntur, aut fiunt propter Finem: in Disciplinis vero theoreticis parciorem habent usum Demonstrationes per Finalem, frequentiorem multo per Efficientem Causam.

§. 3.
Causae Ef-
ficientis di-
visio.

Causa Effici- ens vel est	Remota, quae Effectum non immediate, sed alio mediante Effectu producit: quomodo elevatio vaporis in nubem est Causa pluviae.
	Intrinsicata, quae Subjecto Effectus inest: quomodo Rationalitas est Causa Risibilitatis.
	Extrinsicata, quae Subjecto Effectus non inest: quomodo interpositio terrae est Causa Eclipsis.

* ‘autem’ in the first three Editions. Afterwards ‘tamen.’

† ‘externae.’ In some of the latest Editions ‘extremae.’

Praeter has sunt et aliae Causae Finalis et Efficientis divisiones, ex quarum varietate varie oriuntur differentiae Demonstrationum διότι.

Ut quum probatur Effectus :

1. Per Finalem remotam : ut animal habere pulmones propter conservationem vitae.
2. Per Finalem proximam : ut animal habere pulmones propter refrigerium cordis.
3. Per Efficientem remotam, sed* cum effectu reciprocum : ut, animal augeri propter animam.
4. Per Efficientem proximam intrinsecam : ut Lunam eclipsari propter interpositionem terrae.
5. Per Efficientem proximam intrinsecam, sed Subjecto essentialem : ut, Lunam paulatim illuminari propter figuram sphaericam. Habent hi Demonstrationum sive Modi sive Species, suos usus ; constantque ex Propositionibus, pro Medii exigentia, aut omnibus aut aliquibus aliquo saltem gradu necessariis. Sed minutatim singula explicare non licet, ad Potissimum properantibus.

§. 4.
Varii Modi
Demonstra-
tionum δι-
ότι.

Quaestiones Capitis Decimiquinti.

1. De quatuor Causarum generibus.
2. De inutilitate Materialis et Formalis Causae ad Demonstrationem.
3. De Demonstratione per Causam Finalem.
4. De Demonstratione per Efficientem remotam reciprocam.
5. De Demonstratione per Efficientem proximam extrinsecam.
6. De Demonstratione per Affectionem priorem.

CAP. XVI.

De Demonstratione Potissima.

QUAS hactenus exposuimus Demonstrationum differentias, nulla earum Potissima illa est, quam quaerimus, Demonstratio : in qua scilicet una omnes Necessitatis et Immediatatis gradus perfecte reperiantur. Ea vero duntaxat talis est, in qua Effectus demonstratur inesse Subjecto primo et immediate per

§. 1.
Potissima
Demonstra-
tio quae sit.

* ‘sed’ does not appear in the First or Second Edition.

Causam Efficientem proximam Subjecto essentialem: hoc est, in qua propria Affectio probatur inesse Speciei per essentialem Speciei Definitionem: ut in ista,

Omne animal rationale est risibile.

Omnis homo est animal rationale: ergo

Omnis homo est risibilis.

De Potissima Demonstratione observanda sunt ista: *

1. Medium esto Causa utriusque Extremi: Formalis scilicet Subjecti sive Speciei, Efficiens Praedicati sive Passionis. Proinde illae in quibus Medium non est Definitio Subjecti non sunt Potissimae.

2. Omnes Propositiones sint *de omni*. Proinde non potest fieri Demonstratio Potissima nisi in *Barbara*.

3. Omnes Propositiones sint *per se*, primo aut secundo Modo. Conclusio semper secundo; Praemissarum Major etiam secundo; Minor primo. Proinde illae in quibus altera Praemissarum est per se tantum quarto Modo non sunt Potissimae.

4. Omnes Propositiones sint *quatenus ipsum*. Proinde illae, in quibus vel Conclusio vel aliqua Praemissarum non est reciproca, non sunt Potissimae.

5. Utraque Praemissarum sit principium; Major, ut Hypothesis; Minor, ut Definitio, et consequenter immediatum immedietate Causae, ac indemonstrabile.

Ex his sequuntur quaedam Potentiae Demonstrationis: quae sunt praecipue tres istae, Analysis, Regressus, Conversio in Definitionem. Analysis est resolutio Effectus in Causas suas primas, ad pariendam perfectam ejus scientiam. Quum enim sit catena quaedam, et subordinatio Efficientium et Effectorum, quamvis Effectus posterior possit quidem demonstrari per Effectum priorem, non tamen in eo acquiescit† mens, sed ulterius requirit Causam etiam illius Effectus, atque ita deinceps, quoad perveniat ad primam Causam, eujus non datur Causa, quae est Forma Subjecti, et in qua sola quietatur animus: ut si demonstretur augmentatio de omni vivente per nutritionem; illa rursus per facultatem vegetantem; atque illa demum per animam.

Regressus est Reciprocatio Causae et Effectus per Demon-

§. 3.
De Analyti-
Demonstra-
tionis.

* ‘De Potissima—ista’ dropped after the Second Edition. Three Editions: afterwards ‘ac-

† ‘acquiescit.’ So in the first quiescit.’

strationem : qua Effectum per Causam, per quam ipse prius demonstrabatur, reciproce demonstramus. Dicitur haec Potentia Regressus, quia intellectus noster, postquam e confusa quadam et experimentali cognitione Effectus, tanquam sensui propinquioris, progressus fuerit ad similem et confusam Causae cognitionem, atque per multiplicem commentationem, et collationem Causae ad Effectum, maturaverit illam cognitionem usque adeo ut ex confusa fiat distincta, regreditur deinde a cognitione illa Causae distincta, ad similem et distinctam cognitionem Effectus. Progressus ergo fit per Demonstrationem *quod* et a posteriori, respicitque confusam cognitionem Causae per Effectum ; Regressus vero per Demonstrationem *propter quid*, et a priori ; respicitque distinctam cognitionem Effectus per Causam, differtque propterea a vitio illo Demonstrationis, quem Circulum appellant, quum quaeritur talis reciproca Demonstratio, quae fit utrobique *propter quid* et a priori : quam ut impossibile merito rejicit Aristoteles.

Conversio Demonstrationis in Definitionem est, quum ex Terminis Demonstrationis per eorum transpositionem construitur Definitio Accidentis Proprii.

Est autem Accidentis Proprii

§. 5.
De Conversione Demonstrationis in Definitionem.

Definitio duplex, vel	Partialis ; eaque aut	1. Nominalis ; quae Genere et Subjecto constat : ut ‘Eclipsis est defectus luminis in Luna :’ sumendo <i>ly</i> Nominale, non ut Reali opponitur, sed ut Causali.
		2. Causalit ; quae ex ejus Causa constat : ut ‘Eclipsis est interpositio terrae.’
	Totalis ; quae Nominalem simul et Causalem complexa, ex Genere, Subjecto, et Causa proxima constat : ut, ‘Eclipsis est defectus luminis in Luna propter interpositionem terrae.’	

Istarum Definitionum Nominalis est Demonstrationis conclusio, Causalit principium ; Totalis integra Demonstratio, solo Terminorum situ ab ea differens ; Definitum enim est Majus Extremum : Subjectum Minus ; Causa Medium.

Quaestiones Capitis Decimisexti.

1. De Medio Potissimae Demonstrationis.
2. De primo Necessitatis gradu in omnibus Propositionibus Potissimae Demonstrationis.
3. De secundo gradu.
4. De tertio gradu.
5. De Immediatate Principiorum.
6. De Analyti demonstrativa.
7. De Regressu et Circulo.
8. De conversione Demonstrationis in Definitionem.

CAP. XVII.

De Syllogismo Topico in Genere.

§. 1. **Quid Syllogismus Topicus, qui et Dialecticus stricte, est qui ex probabilibus, vel quasi probabilibus, parat probabilem opinionem Conclusionis.** Probabile vero est, quod, primo, aut omnibus videtur, aut plerisque, aut sapientibus, vel omnibus, vel plerisque, vel celeberrimis : ut, ‘Parentes esse honorandos ;’ ‘Sola honesta esse bona :’ aut, secundo, quod alteri Probabilis simile est ; ut, ‘unam esse Logicam,’ quia una est Grammatica : aut, tertio, quod oppositum alicui Probabili opposite proponitur : ut, ‘Inimicos odio habendos,’ quia amici diligendi : aut, quarto, quod in aliqua disciplina receptum est : ut, ‘Contraria contrariis curari,’ quia docent Medici.

§. 2. **De Problemate.** Syllogismi Topicis proximae sunt Problema et Propositiones. Problema sive Quaestio, est id de quo disseritur probabiliter; estque Syllogismi jam facti Conclusio. Ut autem Problema aliquod sit Dialecticum duae requiruntur conditiones :

- scilicet quod
sit
1. Utile ; idque vel ad vitam, et dicitur Problema Ethicum ; ut, ‘An voluptas sit bona?’ vel ad scientiam, et dicitur Physicum ; ut, ‘An Mundus sit aeternus?’ vel ad aliquod inserviens illis, et dicitur Logicum ; ut, ‘An Divisio sit Syllogismus?’
 2. Dubium ; in quo scilicet dissentiunt, aut vulgus a sapientibus ; ut, ‘An Divitiae faciant felicem?’ aut vulgus inter se ; ut, ‘An Usura sit licita?’ aut Sapientes inter se : ut, ‘An cor sit membrum nobilissimum?’

Problematis partes sunt Termini, Subjectum, et Praedicatum. §. 3.
 De Subjecto nihil praecipitur. Dialecticus enim nulli certo Quatuor Praedicata Topica.
 Subjecto est adstrictus. Praedicata vero sunt quatuor: Genus, Definitio, Proprium, et Accidens. Horum Definitio et Proprium cum Subjecto reciprocantur, sed ita ut Definitio ostendat, quid sit res, Proprium vero non: Genus et Accidens non reciprocantur; sed Genus est essentiale Subjecto, Accidens vero non.

Propositiones sunt, ex quibus de Problemate probabiliter disseritur; suntque Syllogismi Topicorum Praemissae. In his Terminis unice spectandus est Medium sive Argumentum; reliqui enim Problematis potius sunt, quam Propositionum. Argumentum est, quod ad aliquid arguendum est affectum. Argumenta ex Locis sunt eruenda: unde et haec doctrina Topica appellatur, quod in Argumentis secundum Locos inveniendis ac judicandis tota versetur. §. 4.
 Argumen-
 tum quid.

Instrumenta Inventionis Dialecticae sunt ista quatuor: §. 5.
 Acceptio Propositionum, Ambigui Distinctio, Discriminis Instru-
 menta In-
 rerum Investigatio, et Consideratio Similitudinis rerum. De ventionis.
 quorum utilitate, et usu, copiose satis ac perspicue Aristoteles in tota posteriore parte lib. I. Topicorum.

Quaestiones Capitis Decimiseptimi.

1. De libris Topicorum Aristotelis*.
2. De Utilitate Dialecticae.

* Quaest. I. was inserted in the Third Edition.

3. De Syllogismo Dialectico, et Opinione.*
4. De Propositione Probabili.
5. De Problemate Dialectico. †
6. De Quatuor Praedicatis Topicis.
7. De numero et utilitate Instrumentorum Inventionis Dialecticae.
8. De Propositionum Sumptione.
9. De Distinctione Ambigui.
10. De indagatione Discreminis.
11. De Similitudinis consideratione.

CAP. XVIII.

De Lociis Topicis.

§. 1.
Locus Ma-
xima et
Differentia
Maximae.

Locus est Argumenti sedes. Estque Locus duplex: Maxima, et Differentia Maximae. Locus Maxima est Praeceptum Logicum, in quo fundatur vis Argumenti: Locus Differentia Maximae est notatio praecepti secundum differentiam simplicis Thematis, unde ducitur Argumentum. Exempli gratia, si quis probaverit Socratem esse hominem, eo arguento quod sit animal rationale, Argumentum talis Syllogismi dicetur ductum a Loco Definitionis, atque etiam ejus vim omnem niti hoc Loco, quod scilicet cuicunque Definitio attribuitur, eidem et Definitum: hic per Locum intelligendo Maximam, illie Differentiam Maximae.

§. 2.
Utriusque
comparatio
et usus.

Cilibet Loco Differentiae Maximae respondet Locus Maxima: ut Loco a Definitione ista, Cui attribuitur Definitio, eidem et Definitum. Locos Differentias Maximarum simpliciter Locos, Locos Maximas simpliciter Maximas appellabimus. Loci ad Inventionem, Maximae ad Judicium pertinent magis. Maximae non sunt omnes ita perpetuo verae, quin ut quandoque earum aliquae admittant exceptiones, quas Fallentias dicemus.

§. 3.
Locorum

Locorum ordinem varie varii instituunt. Apage, qui Rhetoricos hic obtrudunt. Dialecticos Aristoteles universos ad

* 'et Opinione' added in the Second Edition.

† After the fourth Question the First and Second Editions have:

De ejus prima conditione, quae est Utilitas.

De secunda ejus conditione, quae est Dubietas.

quatuor Praedicata Topica retulit. Qui explicatius et distinctius eorum aliqui Locos faciunt, qua internos, qua externos, qua medios, omnino viginti quatuor: quem numerum alii ad tredecim contraxerunt, ad decem alii, aliisque aliter.

Haud fortassis incommode facturi sumus, si ad septem complexiones Classium sive Notarum Locos omnes et Argumenta reduxerimus; et sunt istae, 1º. Causa et Effectus. 2º. Subjectum et Accidens. 3º. Dissentanea et Comparata. 4º. Conjugata et Notatio. 5º. Totum et Pars. 6º. Genus et Species. 7º. Definitio et Divisio: quibus octavo loco addi potest Inartificialium Argumentorum sedes, Testimonium sive Auctoritas. Nos hunc ordinem secuturi singulis Locis suas Maximas, et Maximis Fallentias subjiciemus.

§. 4.
Locorum
Classes, et
Ordo.

Quaestiones Capitis Decimoctavi.

1. De Loci Maxima et Differentia Maximae.
2. De Loci Rhetoricis hinc excludendis.
3. De Loci Internis, Externis, Mediis.
4. De octo Locorum Classibus.
5. De usu Locorum, et de Argumentis inde eruendis.*

CAP. XIX.

De Loci a Causa et Effectu.

CAUSARUM genera quatuor diximus supra. Sunt et aliae earum divisiones; sed praesenti negotio accommodatissimae sunt hae. 1º. In Solitariam, sive Totalem; ut, aurum monetae, sol diei: et Sociam, sive Partiale; ut, lignum domus, natura eruditio. 2º. In Causam Actu, ut, aedificans domus; et Potentia, ut, architectus domus. 3º. In Remotam; ut, morbi convivium, calicis sulphur, pharmaci sanitas: et Proximam; ut, cruditas morbi, aurum calicis, pharmaci purgatio. 4º. In Causam per se; ut, sol luminis, architectus domus: et Causam per Accidens; ut, sol caecitatis, musicus domus.

§. 1.
Loci Prae-
cognitio.

Hujus Loci Maxime sunt istae:

I. Posita Causa, ponitur Effectus, et sublata tollitur: ut, Si sol lucet, dies est; Si non lucet, dies non est. Fallit prior Maxima prima.

* This fifth Question was added in the Third Edition.

Maximae pars, 1°. In Causa remota: ut, Qui bibit vinum, non semper inebriatur. 2°. In Causa impedita: ut, Gravia non semper descendunt, quia possunt ab aliquo intermedio impeditante prohiberi. 3°. In Causa per accidens: ut, Ex malis moribus non semper fiunt bonae leges: Nec fodiens agrum semper reperit thesaurum. 4°. In Causa non sufficiente per se: ut, Non semper ubi industria est, doctrina est; Nec semper fertilis ager, qui bene colitur: quia utrobique alia requiruntur. Fallit posterior pars, 1°. In Causa per accidens: ut, Potest non fodiens agrum reperire thesaurum. 2°. In Causa quae aliquando fuit: ut, Manet aedificium mortuo architecto. 3°. Quoties Effectus potest a variis Causis aequa produci: ut, Potest Socrates, etiam veneno non epoto, mori ex alia causa.

§. 3.
Secunda. II. Posito Effectu ponitur Causa, et sublato tollitur: ut, Si luna eclipsatur, terra interponitur; si non, non interponitur. Fallit pars prior, 1°. In Effectu per accidens: ut, Potest reperiri thesaurus, etiamsi ager non fodiatur. 2°. In Effectu permanente post Causam, ut, Manet domus mortuo aedificatore. 3°. In Effectu producibili a diversis Causis: ut, Potest esse mors non epoto veneno. Fallit pars posterior, 1°. In Effectu per accidens: ut, Fodiens agrum potest non reperire thesaurum. 2°. In Effectu qui* aliquando fuit, ut, Corruere potest aedificium, superstitie aedificatore. 3°. In Effectu liberi agentis: ut, Potest esse Medicus, etsi non sanet.

§. 4.
Tertia. III. Qualis Causa, talis Effectus, et e contra: ut, Bonae arboris fructus bonus, et e contra. Fallit utrumque, 1°. In Causis et Effectibus aequivocis: ut, Pictoris deformis pulchra potest esse tabula. 2°. In Causa Materiali propter aliquod extrinsecum; ut, Non quia aqua fluida est, ergo et glacies.

§. 5.
Quarta. IV. Propter quod unumquodque est tale, illud est magis tale: ut, Aér calidus propter ignem arguit ignem calidiorem. Fallit 1°. Ubi utrumque non est tale: ut, Vinum quod efficit hominem ebrium non est magis ebrium, quia non ebrium. 2°. Ubi illud tale recipit magis et minus: ut, Non est pater magis homo quam filius, etsi sit causa cur filius sit homo, quia humanitas non recipit magis ac minus. 3°. In Causa non sufficiente per se, ut: Non semper praceptor, etiamsi faciat

* 'in Effectu qui.' So in the First Edition: in the Second and subsequently, 'in Effectu Causae quae.'

discipulum doctum, est ipse doctior discipulo, qui, indole et industria accedente, quandoque evadit doctior praeceptore.

V. Causa natura prior est Effectu : ut, Ratio risibilitate. Et haec nunquam fallit ; nam et Finalis Causa, in qua sola fallere videtur, etsi mediis posterior sit actu et executione, est tamen prior in intentione agentis, qua etiam sola ratione est Causa *. Sciendum tamen plerasque istarum Maximarum intelligi praecepit et simpliciter de Causis Internis et Essentialibus ; de Externis vero aliqua solum ex parte, secundum quid, et per analogiam ; et proinde argumenta iis nixa non semper necessario et deictice concludere, sed, ut plurimum, probabiliter tantum et verisimiliter.

Quaestiones Capitis Deciminoni.

1. De variis Causarum Divisionibus.
2. De Prima Maxima.
3. De Secunda.
4. De Tertia.
5. De Quarta.
6. De Quinta.

CAP. XX.

De Loci a Subjecto et Accidente.

NON hic Subjectum pro Substantia cui inhaeret Accidens, aut Accidens pro eo quod Substantiae inhaeret, praecluse et adaequate sumuntur ; sed Subjectum pro omni eo cui aliquid attribuitur quod non pertinet ad ejus Essentiam, et Accidens pro omni tali Attributo accipitur. Ut, Numerus est Subjectum paritatis, accidens scilicet accidentis. Accidens multifariam distribuitur, sicut et Subjectum. Nam est Accidens, 1°. Proprium et Commune. 2°. Separabile et Inseparabile. 3°. Inhaerens sive Internum, et Adhaerens sive Externum. 4°. Et potissimum, Antecedens, ut, lassitudo febris, luna pallida pluviae, et omnia omnino signa prognostica ; Concomitans sive

§. 1.
Prae cogni-
tio Loci.

* ‘est Causa.’ In the First and Second Editions the Chapter ends with these words.

connexum, ut, Eclipsi plenilunium; * Consequens, ut dies Aurora, partus conceptionis. Signa etiam et Circumstantia hujus sunt loci.

Hujus Loci Maximae sunt,

§. 2.
Maxima
Prima.

I. Posito Subjecto ponitur Accidens Proprium, et sublato tollitur, et e contra; ut, Si sit homo, est risibilis, et e contra; et, Si non sit homo, non est risibilis, nec e contra. Nunquam fallit ista, propter Subjecti et Proprii Accidentis reciprocationem.

§. 3.
Secunda.

II. Posito Subjecto ponitur Accidens Commune, sed non e contra: ut, Si sit nix est alba; non Si sit album est nix. Fallit prior pars in Accidente Separabili: ut, Non si sit aqua, necessario est frigida. Fallit posterior pars, 1°. In Accidente Proprio primo modo: ut, Si sit scientia, est homo. 2°. In Accidente Individuo: ut, Si sit haec albedo, est nix; quia Accidens non mutat Subjectum.

§. 4.
Tertia.

III. Sublato Accidente Communi, tollitur Subjectum, sed non e contra: ut, Si non sit album, non est nix; potest tamen esse album, etiamsi nix non sit. Fallit prior pars in Accidente Separabili, posterior in Accidente primo modo Proprio, et in Accidente ac Subjecto Individuis, quemadmodum in priore Maxima.

§. 5.
Quarta.

IV. Posita re ponitur loci et temporis circumstantia, et sublata circumstantia tollitur res: ut, Si Milo interfecit Clodium, Milo tunc vixit, et adfuit: Si nec tunc vixit, nec adfuit, non interfecit. Nunquam fallit in circumstantia requisita necessario.

§. 6.
Quinta.

V. Posito Antecedente, Concomitante, Consequente, ponitur, pro eiusus exigentia, Consequens, Concomitans, et Antecedens (scilicet Concomitans in esse, Antecedens in esse vel praefuisse, Consequens in esse vel futuro esse;) et sublato tollitur. Ut, Si sit eclipsis, est plenilunium: Si parit, concepit; Si sit Aurora, sol orietur. Fallit. 1°. In non necessario cohaerentibus: ut, Potest esse non pauper qui est Philosophus, et Cometam non sequi bellum. 2°. In necessario etiam cohaerentibus, si non sit mutua necessitas: ut, Etiamsi si sit eclipsis sit plenilunium, non tamen si sit plenilunium continuo erit eclipsis. Sed et

* ‘Eclipsi plenilunium.’ So in to the Sixth ‘Eclipsis plenilunium.’
the First Edition. From the Second Afterwards, ‘Eclipsis plenilunii.’

ista non necessaria, magnam tamen vim habent ad faciendam fidem, praesertim si multa conglobata in unum fuerint. Unde hunc Locum plurimi faciunt Astrologici, Physiognomici, et Oratores, maxime in Quaestione Facti.

Quaestiones Capitis Vicesimi.

1. De Subjecti et Accidentis variis Divisionibus.
2. De Circumstantiis et Objectis.
3. De Antecedentibus, Concomitantibus, Consequentibus, et Signis.
4. De Maxima Prima.
5. De Secunda.
6. De Tertia.
7. De Quarta.
8. De Quinta.

CAP. XXI.

De Locis a Dissentaneis et Comparatis.

DISSENTANEA sunt Opposita, aut Disparata; ut Bos et Equus. Oppitorum quatuor sunt genera, de quibus Part i. cap. 15. Comparata aut sunt ratione qualitatis, ut, Similia et Dissimilia: aut ratione Quantitatis, vel etiam graduum, ut, Paria et Imparia et quaecunque possunt dici Magis, Minus, vel Aequa. De quibus omnibus variae sunt Maximae.

De Relatis haec. Posito altero Relatorum, in esse, vel cognosci, ponitur reliquum, et sublato tollitur: ut, Si sit filius, est pater, &c. Fallit 1°. In Relatis secundum dici: posito scibili potest non esse scientia. 2°. Si intelligatur in eodem Subjecto et non simpliciter; nam qui est pater hujus, non modo potest non esse, sed omnino non potest esse filius ejusdem.

De Contrariis istae.

I. Posito uno Contrariorum, tollitur alterum: ut, Si aqua sit calida, frigida non est. Fallit in remissis Qualitatibus: nam aqua quae calida est ad sex, est frigida ad duos gradus:

quia remissio Qualitatis sit semper per admisionem Contrarii.

II. Sublato uno Contrariorum, ponitur alterum : ut, Si aqua non sit sicca, erit humida. Fallit, 1°. In Contrariis Mediatis : ut, Mel nec album nec nigrum est, sed flavum. 2°. In Subjecto non capaci : ut, Anima nec alba est, nec nigra, nec frigida, nec calida.

III. Contrariorum idem est Genus et Subjectum : ut, Si albedo est color*, et nigredo color erit ; Si amor sit in concupisibili, et odium erit. Haec nunquam fallit.

IV. Contrariorum contraria est ratio : ut, Si dolor sit fugiendus, voluptas est sequenda ; et Si frigus congreget heterogenea, calor secernit. Fallit, 1°. In Praedicatione Generis, aut Affectionis genericae : ut, Quia albedo est color, aut visibilis, non propterea nigredo non erit. 2°. In ratione Subjecti : ut, Quia sanitas convenient animatis, non propterea morbus inanimatis ; sed potius e contra. 3°. In Causis per accidens ; non enim, si musicus aedificat, ergo destruet immusicus. 4°. In Causis quarum actio determinatur a dispositione Materiae ; non enim emollit lutum frigus, quia indurat calor.

V. Majoris boni contrarium est majus malum, et e contra : ut, Quia sanitas est melior divitiis, aegritudo pejor erit paupertate. Fallit ubi bonorum alterum altero includitur, aut ab eo supponitur : ut, Utilius est posse philosophari, quam scire literas ; et tamen † e duobus utilius ignoratur philosophia.

De Privantibus istae.

I. Posito Habitu, tollitur Privatio, et e contra : ut, Si videt, caecus non est, si caecus est, non videt ; et nunquam fallit.

II. Sublato Habitu, ponitur Privatio, et e contra : ut, Non videt, ergo est caecus ; non est caecus, ergo videt. Fallit 1°. In Subjecto non capaci ; Lapis enim non videt, nec tamen caecus est. 2°. In Subjecto capaci ante tempus suaे capacitatis ; unde Catulus ante nonum diem etsi non videat, caecus tamen non censemur.

De Contradicentibus unica ista aeternae veritatis. Posito altero Contradictiorum, tollitur reliquum, et sublato ponitur :

* In the First Edition, ‘sit color.’ Edition, ‘et tamen utilius ignoratur † ‘tamen e duobus.’ In the First Philosophia quam literae.’

ut, Si paries sit albus, non est non albus; si sit non albus, non est albus.

De Disparatis ista. Posito uno Disparatorum, tolluntur reliqua: ut, Si Socrates sit homo, non erit bos, aut lapis. Fallit in Accidentibus quando in concreto attribuuntur Subjectis; idem enim lac est album et dulce. §. 6. Maxima Disparato- rum.

De Similibus et Dissimilibus, Proportionatis ac Improportionatis ista. Similibus et Proportionatis Similia convenient et Proportionalia: Dissimilibus et Improportionatis, Dissimilia et non Proportionalia: ut, Si Plato sit mortalis, et Socrates erit: Si oculus totum corpus, et animam ratio dirigit. Fallit, nisi intelligatur reduplicative, de Similibus scilicet qua Similia, &c. omne enim simile, est etiam dissimile: alias simile non esset, sed idem: unde non sequitur coryum rationalem esse, quia Aethiops est rationalis; et similiter de reliquis. Atque hic oportet respondentem, si excipiat adversus argumenta in hac Maxima fundata, ostendere in quo, quae proponuntur ut similia, sunt dissimilia. §. 7. Maxima Similium &c.

Magis, Minus, et Aeque et de rebus inter se comparatis dicuntur, et de Propositionum probabilitate. De Comparatione rerum Maximae sunt, Generales quaedam, omne genus collationi accommodae; quaedam Speciales, de magis et minus Bono. §. 8. Maxima generales Comparatae Rei.

Generales sunt istiusmodi: 1º. Quod natura est tale, magis tale est quam quod per participationem: ut, Sol luminosior aëre. 2º. Quod per se, magis quam quod per accidens: ut, Diaeta salubrior vomitu. 3º. Quod remotius a Contrario, quam quod propinquius: ut, Frigidius coelum sub Polis quam sub Tropicis. 4º. Quod magis efficit, quam quod minus: ut, Ignis vehementius calefaciens calidior. 5º. Cui magis inest Causa, magis quam cui minus: ut, Juvenis sene robustior. 6º. Cui magis Definitio competit, aut media, quam cui minus: Quod ad Finem magis conduceat, utilius. Et multae aliae, quae omnes fallunt, nisi adhibita limitatione, Caeteris paribus, &c. Nam Termini comparati fere excedunt invicem, et exceduntur.

Maximae Speciales de magis et minus Bono sunt ejusmodi. 1º. In quo sunt plura Bona, melius: ut, Felicitas Peripatetica Stoica. 2º. Quod pluribus Bonum, melius: ut, Justitia fortitudine. 3º. Quod propter se expetitur, melius: ut, Bonae leges malis moribus. 4º. Quod stabilius, melius: ut, Virtus §. 9. Maxima Speciales comparati Boni.

decore. 5º. Quod solitarie bonum, melius : ut, *Αὐταρκεία* divitiis. 6º. Quod ad meliorem finem, melius : ut, Artes liberales quaestuariis. 7º. Quod nobilioris objecti, melius : ut, Theologia Medicina. 8º. Quod ad perfectionem, quam quod ad necessitatem, melius : ut Visus tactu. 9º. Quod fini proprius, melius : ut, Messis semente. 10º. Quod meliori similius, melius : ut, Aes plumbo ; plurimaeque hujus generis apud Aristotelem, lib. iii. Topic. et alios. Quae sunt omnes intelligendae cum limitatione, Caeteris paribus.

§. 10.
Maximae
comparatae
Rationis.

Maximae comparatae Rationis, sive Probabilitatis Propositionum sunt istae. 1º. Eorum quae aequae sunt aut non sunt talia, si unum sit tale, et reliquum ; si non sit, nec reliquum : ut, Pariter se habere videntur honores et divitiae ad felicitatem ; si ergo honores non reddant beatum, nec divitiae reddent : si cibus sit necessarius ad vitam sustinendam, et potus erit necessarius. 2º. Si quod magis videtur esse tale, non sit, etiam quod minus videtur esse non erit : ut, Non placuit omnibus Homerus, qui placebit Maevius ? 3º. Si quod minus videtur esse sit tale ; etiam id quod magis : ut, Fur si sit suspendio dignus, certe dignior sacrilegus.

Quaestiones Capitis Vicesimiprimi.

1. De Dissentaneis* et Comparatis.
2. De Maxima Disparatorum.
3. De Maxima Relatorum.
4. De Maximis Contrariorum.
5. De Maximis Contradictiorum et Privativorum.
6. De Maximis Similium, Dissimilium, Proportionatorum, Improportionatorum.
7. De Maximis Generalibus comparatae Rei.
8. De Maximis Specialibus comparatae Rei secundum magis et minus Bonum.
9. De Maximis comparatae Rationis.

* In the First Edition, 1. De Dissentaneis. 2. De Comparatis—thus making Ten Questions in all.

CAP. XXII.

De Loci a Conjugatis et Notatione.

CONJUGATA sunt proprie quae ob significationis affinitatem §. 1.
vocis quoque affinitate conjuncta sunt: ut, Justus, Justitia, Praecogniti.
Juste. Praecipua eorum vis est in Abstracti et Concreti con-
secutione, secundaria et in reliquis; atque spectanda potius
Conjugatio est ex rerum quam nominum ordine: unde Som-
nus et Dormire sunt conjugata, Somnus et Somnolentus non
sunt. Notatio est vocis explicatio secundum Etymologiam: ut,
Consul* a consulendo Reipublicae.

Conjugatorum Maximae sunt,

I. Cui unum Conjugatorum convenit, et alterum; cui non §. 2.
unum, nec alterum: ut, Si Socrates est justus, ergo agit juste. Maxima
Fallit, 1º. In iis quae sunt Conjugata tantum quoad vocem;
Conjugato-
Non enim si Socrates bibit† vinum, statim erit vinolentus.
rum prima.
2º. Quando arguitur ab una actione aut paucis ad habitum;
propterea non sequitur, Socratem, si agit juste, esse justum.
3º. Quando arguitur a potentia ad actum: ut, Socrates est
risibilis, quamvis non rideat.

II. Quorum unum convenit alteri, eorum Conjugatum unius §. 3.
convenit Conjugato alterius, et negative similiter: ut, Si albedo
Secunda.
sit color, album erit coloratum; et Si frugalis non sit avarus,
nec frugalitas erit avaritia. Fallit, 1º. Quum Conjugata sunt
talia solum quoad vocem: ut, Non sequitur vinum esse malum,
quod vinolentia sit mala. 2º. Arguendo affirmative a Concretis
ad Abstracta, ubi Praedicatio non est per se: ut, Non propterea
albedo est dulcedo, quia album, ut lac, est dulce. 3º. Argu-
endo negative ab Abstractis ad Concreta: ut, Quia nulla albedo
est dulcedo, non propterea nullum album erit dulce.

Notationis Maximae sunt,

I. Quod convenit aut non convenit Notationi, Notato convenire §. 4.
aut non convenire par est: ut, Sapientiae studium si sit prae- Maximae
ferendum arti militari, certe et philosophia preferenda erit. Notationis
et Notati.

II. De quo dicitur Notatum, et Notatio; et de quo negatur

* 'The name, *Consuls*, means nothing more than simply *Col-leagues*: the syllable *sul* is found in *praesul* and *exsul*.' Niebuhr, i. 457.

Hare and Thirlwall.

† 'bibit.' After the Third Edi-

tion, 'habet.'

Notatio, et Notatum: ut, Si solstitium sit, sol stat: et, Si non sit sacrae rei ablato, sacrilegium non est.

Locus a Notatione plus habet amoenitatis quam virium: proinde ejus Maxima saepissime fallunt: ut, 1º. Si Notationes sint frigidae, aut nimium coactae: ut, Non sequitur magistrum esse doctorem discipulo, quia ter magis scit. 2º. Si vera Notatio in argumentatione accipiatur modo non vero: * unde non sequitur Socratem tueri pupillum, quia est tutor; dicitur enim tutor a tuendo quidem, quod tueri debeat, non quod actu tueatur. 3º. Si mutatio contingat in Notato, non in Notatione: ut, Non sequitur convivas, quia discubunt ad coenam, propterea fusos in lectis coenare; quia mos jam exolevit, qui tunc obtinuit, quum haec significatio huic voci imposita fuit; multisque aliis modis, quos attentior quisque per se facile observabit.

Quaestiones Capitis Vicesimiseundi.

1. De Conjugatis.
2. De Notatione et Notato.
3. De Maximis Conjugatorum.
4. De Maximis Notationis et Notati.

CAP. XXIII.

Loci a Toto et Parte.

§. 1.
Praecogni-
tio Loci.

TOTUM et Partes Relata sunt. Totum est, quod Partium omnium unione absolvitur: ut Homo. Partes, quae in Toto uniuntur: ut, caput, pectus, crura. Totius Essentialis Partes sunt Essentiales, Materia et Forma. Totius Integri Partes sunt Integrantes, quae situ ita differunt, ut possit Pars a Parte separari: ut, Domus partes sunt fundamentum, parietes, tectum. Integrum homogeneum in Partes homogeneas seu similares distribuitur, quarum scilicet quaelibet habet nomen et definitiōnem Totius: ut, Aquae quaelibet Pars est Aqua. Integrum heterogeneum in Partes heterogeneas sive dissimilares distribuitur, quae scilicet diversas habent a Toto et inter se appellationem simul et naturam: ut, Hominis partes sunt caput, manus, pes, &c. Partes spectari possunt, vel singulæ separatim, vel conjunctim universæ.

§. 2.
Maximae

Totius et Partis Maxima sunt,

* 'modo non vero.' So in the first three Editions. Subsequently, 'acciipiatur non vera' or 'non vere.'

I. Posito Toto, ponuntur Partes: ut, Si sit domus, erit fun- Totius et Partis.
damentum.

II. Sublatis Partibus, tollitur Totum: ut, Si fundamentum non sit, certe domus non erit. Fallit utraque, 1º. In Partibus aequivocis et improprie dictis: ut, Non sequitur, si pili et unguis non sint, nec hominem esse. 2º. In Toto mutilato Parte aliqua non simpliciter necessaria: ut, Potest esse homo, quantumvis amputato digito, vel manu.

III. Sublato Toto, Partes tolluntur: ut, Si domus non sit, nec fundamentum erit.

IV. Positis Partibus, ponitur Totum: ut, Si sint fundamentum, parietes, tectum, erit domus. Fallit utraque in partibus divisi acceptis: ut, Potest esse fundamentum, ita tamen ut domus non sit.

Quaestiones Capitis Vicesimitertii.

1. De Toto et Partibus Essentialibus.
2. De Toto et Partibus Homogeneis.
3. De Toto et Partibus Heterogeneis.
4. De Maximis Totius et Partis.

CAP. XXIV.

De Locis a Genere et Specie.

TOPICE Genus et Species non accipiuntur per omnia, ut, in Praedicabilibus. Genus enim hic est omne Praedicatum essentialia; sive sit Genus proprio dictum, de Specie aut Individuo praedicatum; ut, Animal de homine aut Socrate: sive Species de Individuo; ut, Homo de Socrate: sive Differentia Generica aut Specifica de inferioribus Speciei quam constituit; ut, Sensibile de Homine, Rationale de Socrate. Species pariter hic non sola illa proprio dicta, quae Generi immediate subjicitur, sed et Differentia Specifica, et ipsum etiam Individuum: in universum quidquid superiori subjicitur, in quantum subjicitur, Speciei appellatione continetur.

Generis et Speciei Maxima sunt,

I. Sublato Genere, tollitur Species: ut, Si non sit animal, Maxima Prima et Secunda.
nec est homo, nec brutum, nec rationale, &c.

II. Posita Specie, ponitur Genus: ut, Si sit homo, aut rationale, erit animal. Nunquam fallunt.

§. 3.
Tertia.

III. Quod convenit aut non convenit Generi, convenit etiam aut non convenit Speciei: ut, Si animal sit sensibile, et homo: si non sit incorporeum, nec homo. Fallit 1º. In suppositione materiali, vel simplici; neque enim homo est genus, quia animal est; neque non est species, quia animal non est. 2º. In iis quae Generi convenient aut non convenient ex parte tantum, et non universaliter: ut, Homo neque est irrationalis, quia aliquod animal est; neque non est rationalis, quia aliquod animal non est.

§. 4.
Quarta.

IV. Quod convenit aut non convenit Speciei, convenit aut non convenit Generi. Explica, Si alicui Speciei, Generi ex parte: unde fiunt Syllogismi in tertia Figura: ut, Si homo sit rationalis, aut non sit quadrupes, certe aliquod animal erit rationale, et aliquod non erit quadrupes. Quod si Speciebus omnibus, toti Generi: unde fiunt Inductiones: ut, Si homo, et equus, &c., sint sensibles, aut non sint immortales, certe omne animal erit sensibile, et nullum erit immortale.

Quaestiones Capitis Vicesimiquarti.

1. De Genere et Specie.
2. De Maxima Prima et Secunda.
3. De Maxima Tertia.
4. De Maxima Quarta.

CAP. XXV.

De Locis a Definitione et Divisione.

§. 1.
Praecogni-
tio Loci.

DEFINITIO Topicā, non essentialē tantum Definitionem, sed et quamlibet perfectam rei Descriptionem, adeoque et omne Praedicatum convertibile, sicut Differentiam constitutivam, et quarto modo Proprium, complectitur. Divisio vero ita sumitur, sicut in primo libro* dictum est, cap. 18.

§. 2.
Maxima
Definitio-
nis.

Definitionis Maxima unica haec est. Posita aut sublata Definitione, ponitur aut tollitur Definitum, et e contra: ut, Si sit animal rationale, est homo, et e contra; Si non sit homo, non est animal rationale, nec e contra. Fallit in iis quae convenient Definitioni aut Definito, quatenus sunt Definitio aut Definitum; non enim si animal rationale sit complexa vox, et

* 'in primo libro.' In the First and Second Editions, 'in prima Logicae parte.'

homo erit: alias perpetuo vera est; fundatur enim in mutua eorum reciprocatione.

Divisioni etiam unica est Maxima haec. Membrorum condicentium uno aut altero sublato, ponitur reliquum; et posito, tollitur: ut, Si hoc animal non sit brutum, erit homo; si sit homo, non erit brutum. Hoc perpetuo obtinet in omni bona Divisione; fundatur enim in primo et tertio ejus Canonibus assignatis supra, Lib. i. cap. 18. §. 3.

§. 3.
Maxima
Divisionis.

Quaestiones Capitis Vicesimiquinti.

1. De Definitione et Divisione.
2. De Maxima Definitionis.
3. De Maxima Divisionis.

CAP. XXVI.

De Loci a Testimonio.

INARTIFICIALIA argumenta restant, quae vel experti artis obvia sunt. Pugnant haec auctoritate, non ratione: et du- §. 1.
tio Loci. cuntur a Testimonio.

Testimonium aliud est	Divinum, propter	Revelationem: ut Scripturae, Somnia, Vi-
		siones, &c.
	Humanum	Operationem: ut Dei Judicia, Miracula,
		Experimenta Divinae Justitiae, Potentiae aut Providentiae, quo et Naturae totius vox refertur,
	Commune	Proprium: et est Sensuum Testimonium.
		Publicum: ut Consuetudo, Tabulae publicae, Leges, Monumenta, Lapidès, &c.
		Privatum: ut Chirographa, Confessiones, Testamentum, Jusjurandum, Pactum, Sententiae Auctorum, &c.

Testimonium illud alio firmius est, de quo plurimae dari possunt Maximae: nos e multis praecipuas aliquot exhibemus.

I. Testimonium non valet negative; non enim sequitur non ita esse, propterea quod nullibi dixit Aristoteles. Fallit 1º. in Prima. his quae non sunt statuenda sine certa auctoritate: ut, Quia Scripturæ Sacrae non dicunt, ergo non est dogma Fidei; nec

§. 2.
Maxima
Prima.

capitale est temere jurare, quia nulla Lex dicit esse capitale. 2º. In his de quibus auctor debuit aut promisit perfecte disse-rere : ut, Aristoteles, lib. v. Metaphys. ubi tamen instituit enum-erare singulas Species Quantitatis, non meminit Loci: Locus proinde Quantitas non est.

§. 3.
Secunda.

II. Divino Testimonio certa fides adhibenda est : ut, Christus est Messias, quia Scripturae docent. Nunquam fallit.

§. 4.
Tertia.

III. Sensuum Testimonio certa fides adhibenda est : ut, Ignis calidus est, quia sensus docet. Fallit quoties reddi ratio potest, cur sensus fallatur : ut, Baculus non propterea curvus est, quia in aqua talis videtur.

§. 5.
Quarta.

IV. Peritis credendum in sua arte : ut, Partus perfectus nascitur mense septimo, hoc enim asserit Hippocrates. Fallit 1º. Ubi peritiores aut aeque periti diversum sentiunt : ut, Non dantur Ideae, Platone quamvis asserente ; quia refragatur* Aristoteles. 2º. Ubi sensus, aut ratio contradicit : ut, Nix nigra non est, etsi dixerit Anaxagoras ; nec Galaxia de natura elementari, etsi dixerit Aristoteles : quia sensus illic, hic ratio repugnat.

§. 6.
Quinta.

V. Plurimorum Testimonium praefertur Testimonio paucorum : ut, Verisimilius est dari elementum ignis, quod plerique putant, quam non dari, quae paucorum est opinio. Fallit 1º. Ubi pauciores sunt prudentiores : ut, Virtus praeferenda est divitiis, quod sic prudentiores censeant. 2º. Ubi pauciorum sententia firmioribus rationibus probatur : ut, Logica Ars est potius quam Scientia, etsi pauciores id censeant, quia rationibus firmissimis constat ita esse.

§. 7.
Sexta.

VI. Antiquorum Testimonium praeferendum est Testimonio recentiorum. Quod intelligendum in iis praesertim quae ad pietatem spectant et mores ; nam in his quae artis sunt aut ingenii, haud dubie superantur a neotericiis prisci, quo facilius est inventis addere, quam nova invenire.

Quaestiones Capitis Vicesimisexti.

1. De Argumentis Inartificialibus.
2. De Maxima Prima.†

* ‘refragatur.’ In the First Edi-tion ‘repugnat.’

† The First and Second Editions

add as the second Question : ‘De Testimonio,’ making eight Ques-tions in all.

3. De Maxima Secunda et Tertia.
4. De Maxima Quarta.
5. De Maxima Quinta.
6. De Maxima Sexta.
7. De reliquis Maximis.

CAP. XXVII.

De Fallaciis in genere.

SYLLOGISMUS Captiosus, qui probabilitatem mentitur quam habet Dialecticus, Syllogismus Sophisticus, vel Elenchus, vel Fallacia indifferenter appellatur. Sophistae veteribus dicti, qui gloriam ex disputatione aucupabantur; atque id quinque potissimum mediis, quae propterea Metae Sophistarum dicuntur: cogendo scilicet Respondentem ad Redargutionem, Falsum, Inopinabile, Soloecismum, aut Nugationem.

Redargutio, est praeconcessi negatio, aut praenegati concessio; quando Respondens cogitur sibi contradicere. Falsum, est Propositionis manifeste falsae per Respondentem admissio. Inopinabile, est Propositionis a communi hominum opinione alienae admissio. Soloecismus, est vitium orationis peccantis adversus Grammaticorum regulas. Nugatio, est ejusdem inutilis et inanis repetitio.

Fallaciae possunt disponi secundum Locorum Dialecticorum seriem, quorum mentiuntur probabilitatem; sed non incommodate Aristoteles omnes ad generales quasdam notas retulit, numero tredecim, istis versiculis comprehensas.

Aequivocat, Amphi. Componit, Dividit, Acc. Fig.

Acci. Quid, Ignorans, Non causa, Con. Petit. Interr.

Quorum prior versiculus sex Fallacias in Dictione complectitur; posterior septem reliquas, quae extra Dictionem sunt.

Quaestiones Capitis Vicesimiseptimi.

1. De Elenchi Definitione et Nomine.
2. De necessario usu doctrinae Fallaciarum in Arte Logica, et de Libris Elenchorum Aristotelis.
3. De Sophistis veteribus.
4. De quinque Metis Sophistarum.

5. De Fallaciarum numero.
6. De Dispositione Sophistica, sive de arte interrogandi.*
7. De Solutione Fallaciarum, sive de arte respondendi.

CAP. XXVIII.

De Fallaciis in Dictione.

§. 1.
Multiplex
triplex.

FALLACIA omnis in Dictione oritur ex Dictionis aliqua Multiplicitate.

Est autem
Multiplex
aliud

- | | |
|---|--|
| { | <ol style="list-style-type: none"> 1. Actuale : quando Dictio invariata multa significat, ut in Aequivocatione, et Amphibolia. 2. Potentiale : quando Dictio, quoad prolationem aliquo modo variata, multa significat, ut in Compositione, Divisione, et Accentu. 3. Phantasticum : quando Dictio, unum reipsa significans, videtur tamen multa significare ; ut in Figura Dictionis. |
|---|--|

§. 2.
Fallacia
Aequivoca-
tionis.

Fallacia Aequivocationis, sive Homonymiae, est, quando vox aliqua simplex aliter atque aliter accipitur in argumentatione. Contingit id tribus modis : 1º. Quum Dictio multa principaliter significat : ut, si probetur aliquod coeleste sidus esse animal, vel latrare, quia est canis. 2º. Quum Dictio unum proprius significans, per Analogiam aut Metaphoram ad alia transferatur : ut, si probetur aquam pedes habere, quia currit ; aut pratum os, quia ridet ; aut urinam valere, quia sana est. 3º. Quando ambiguitas attenditur penes accidentia partium orationis secundum Grammaticam : ut si probetur sedentem stare, quia surgebat. In hac Fallacia sunt quatuor Termini ; et solvitur distinguendo vocem ambiguam secundum varia ejus significata.

§. 3.
Fallacia
Amphibo-
liae.

Fallacia Amphibolie, sive Amphibologiae, est, quando oratio aliqua ambigua est propter constructionem. Contingit id tribus modis. 1º. Manente eadem constructione sub diversa tamen habitudine : ut, si probetur hunc librum possideri ab Aristotele, quia est liber Aristotelis. 2º. Mutato constructio- nis ordine : ut, si probetur columnam sentire, quam Socrates tangit, quia quidquid Socrates tangit illud sentit. 3º. Quum oratio praeter propriam significationem, transumptam etiam et

* The sixth and seventh Questions were added in the Third Edition.

tropicam habet: ut, si probetur, qui indocilem docere vult terram scindere, quia litus arat: quo fere pertinent et cacterae locutiones proverbiales. In hac etiam sunt quatuor Termini; et solvitur ostendendo orationis ambiguitatem.

Fallacia Compositionis, est quum conjunctim accipiuntur quae erant accipienda divisim. Huic ex adverso respondet Fallacia Divisionis, quum seorsim et divisim accipiuntur quae erant accipienda conjunctim. Illa dicitur Fallacia a bene Divisis ad male Conjuncta, ista a bene Conjunctis ad male Divisa. Contingit utrumque quatuor modis. 1º. Quum dictum in Modali potest supponere pro se toto, vel pro parte sui: ut, si probetur possibile esse ut niger sit albus, quia possibile est album esse nigrum. 2º. Ratione Conjunctionis copulativa vel disjunctivae: ut, si probetur Quinque esse par et impar, quia duo et tria sunt par et impar. 3. Quum Dictio aliqua diversis in oratione conjungi potest: ut, si probetur Socratem semper futurum, quia qui vivit semper erit. 4º. Quum voces unitae in Praemissis in Conclusione dividuntur, aut e contra: ut, si probetur canem esse patrem Socratis, quia est pater, et est Socratis; aut Socratem esse, quia est mortuus. In his sunt quatuor Termini; et solvuntur separando sensum divisum a composito, et ostendendo uter sit verus et genuinus, uter non.

Fallacia Accentus sive Prosodiae est, quum propter aliquam in pronunciatione similitudinem fit deceptio. Contingit id quatuor modis: 1º. Ratione quantitatis aut toni diversi: ut, si probetur poma fugienda esse, quia mala; aut judicem suspendum, quia debet pendere. 2º. Ratione diversae scripturae, cum vel sine diphthongo aut aspiratione: ut, si probetur judicem corruptum esse, quia vendit Equum; aut pororum stabulum esse in fano, quia ibi Ara est. 3º. Ratione coalitionis diversarum vocum in unam, aut unius e contra in plures distinctionis: ut, si probetur Rempublicam conculeari, quia via, quae res est publica, conculeatur; aut Senatum reprehendendum, qui in curia est, quia incuria reprehendenda. 4º. Ratione modi pronunciandi: ut, quum illa quae dicuntur per concessionem, aut ironiam, aut per interrogationem, aut quid simile, accipiuntur ut simpliciter et categorice dicta. In hac similiter sunt quatuor Termini; et solvitur ostendendo diversam accentus aut scripturae rationem.

Fallaciae
Compositionis et Di-
visionis.

Fallacia
Accentus.

§. 6. Fallacia Figurae Dictionis est, quum, propter similitudinem aliquam dictionum, id uni competere videtur, quod alteri. Idonis. que vel Grammatice, ut, si probetur Poetam esse generis foeminini, quia Musa est ; vel Logice, ut, si probetur videre esse agere, quia docere est ; vel alia quocunque modo. Haec Fallacia minutior est quam ut facile decipiat, et contenta negari, operosam solutionem non exspectat.

Quaestiones Capitis Vicesimioctavi.

1. De Fallaciarum in Dictione sufficientia secundum triplex Multiplex.
2. De Fallacia Aequivocationis, et ejus solutione.*
3. De Fallacia Amphiboliae, et ejus solutione.
4. De Fallaciis Compositionis et Divisionis, earumque solutione.
5. De Fallacia Accentus.
6. De Fallacia Figurae Dictionis.

CAP. XXIX.

De Fallaciis extra Dictionem.

§. 1. Fallaciae extra Dictionem sunt in quibus contingit deceptio, non tam ex multiplice aliquo latente in vocibus ipsis, quam ex onere. ignoratione rerum ; et sunt septem, quae sequuntur suo ordine.

§. 2. Fallacia Accidentis est, quum alteri connexorum attribuitur, quod alteri convenit tantum per accidens. Accidens enim hic appellatur, quidquid aut non est de essentia rei cui attribuitur ; aut si sit, est tamen ei alienum, in quantum ea confertur eum aliqua tertia. Contingit haec Fallacia tribus modis. 1°. Quum proceditur ab Accidente ad Subjectum, aut e contra : ut, si probetur Socratem crudas carnes comedisse, quod illas comedierit quas emisset. 2°. Quum mutatur genus suppositionis, materialis in formalem, simplex in personalem, &c. aut e contra : ut, si probetur syllabam rodere caseum, quia mus est syllaba ; aut Socratem, quia homo est, esse Speciem. 3°. Quum proceditur a superiore ad inferius ; et e contra, in eis quae convenient alterutri secundum rationem superioris et inferioris ;

* The First and Second Editions have nine Questions, 2, 3, and 4 being each broken into two : ‘ 2. De Fallacia Equivocationis et ejus modis. 3. De ejus vitio et solutione.’

ut, si probetur rationale converti cum animali, quia cum homine convertitur. Siqui ab aliis assignentur modi, reduci ad hos possunt; sicut et istorum fortasse nonnulli, ad alias Fallacias; nihil enim impedit, eundem nonnunquam Elenchum ad diversas Fallacias referri posse. Solvitur Fallacia Accidentis distinguendo id, quod alicui convenit per se, ab eo quod per accidens.

Fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter, est ^{§. 3.} quum illud, quod verum est tantum secundum quid, accipitur ut Fallacia secundum simpliciter. aliquo addito dici; secundum quid vero, cum aliquo addito. Contingit haec Fallacia tribus modis. 1º. Quum determinatio addita destruit terminum cui additur: ut, si probetur esse hominem, quia est mortuus vel pictus homo: ejusmodi dicitur contradicatio in adjecto. 2º. Quum determinatio addita significat partem: ut, si probetur Aethiopem esse album, quia est albus dentes. 3º. Quum determinatio addita significat notabilem aliquam circumstantiam loci, temporis, soni, &c. ut, si probetur arma deposita domino non reddenda, quia non domino furioso. Solvitur distinguendo id quod est simpliciter, ab eo quod est quadamtenus, et secundum quid.

Fallacia ab Ignoratione Elenchi, est quum ea pro veris Contradictoriis accipiuntur quae non sunt talia. Elenchus est Syllogismus probans Contradictoriam Propositionis negatae: qui ut sit legitimus, requiruntur quatuor conditiones verae Contradictionis; ut scilicet sit 1º. ejusdem eodem modo: 2º. secundum idem: 3º. ad idem: 4º. eodem tempore. In hujus Fallaciae conclusione contradictoria eidem attribuuntur; sed quae ob defectum alicujus requisitae conditionis non sunt vera contradictoria. Contingitque, 1º. Quum collatio non est ejusdem eodem modo: ut, si probetur cadaver Socratis esse, et non esse hominem, quia est mortuus, non est vivus homo, 2º. Quum non est ejusdem secundum idem: ut, si probetur Aethiopem esse album et non album, quia est albus dentes, eudem non albus. 3º. Quum non est ad idem: ut, si probetur Socratem esse divitem, et non divitem, quia in comparatione ad Irum dives est, non est ad Croesum. 4º. Quum non est eodem tempore: ut, si probetur Socratem venturum et non venturum, quia venturus est eras, non venturus hodie. Ad Ignorationem Elenchi omnis Fallacia potest aliquo modo re-

duci ; quemadmodum ad Contradictionem omnis Oppositio. Solvitur ostendendo defectum Contradictionis in aliqua dicta- rum quatuor conditionum.

§. 5.
Fallacia
non Causae
pro Causa.

Fallacia a non Causa ut Causa est, quum aut Causa non vera sumitur pro Causa vera, aut Causa non talis pro Causa tali : ut, insufficiens pro sufficiente, per accidens pro per se, remota pro proximis, &c. Iстis enim duobus modis contingit. 1º. A Causa non vera, ut Causa vera : ut, si probetur bellum intestinum esse propter cometam. 2º. A Causa non tali, ut Causa tali : ut, si probetur vini usum tollendum, quia facit ebrios. Haec Fallacia usum habet in Syllogismis ducentibus ad Impossible. Solvitur negando Causam falsam, et addu- cendo germanam.

§. 6.
Fallacia
Consequen-
tis.

Fallacia Consequentis est, quum ex Antecedente infertur ut Consequens, quod tamen non est Consequens. Contingit id quoties contra regulas Conversionum aut Syllogismorum Con- ditionalium peccatur ; quas videre est retro, Lib. ii. c. 7. paragr. 4. et Lib. iii. c. 9. paragr. 2. Solvitur ostendendo infirmitatem Consequentialiae, vel ex regulis, vel ex aliis Consequentialiis ejus- dem formae, et tamen infirmis.

§. 7.
Fallacia
petitionis
principii.

Fallacia petitionis principii est, quum id sumitur tanquam principium ad probationem, quod non est concessum. Contingit multis modis. 1º. Quum supponitur id ipsum quod quaeritur sub iisdem terminis, quae dicitur Petitio statim : ut, si probetur hominem esse, quia homo est. 2º. Quum sub diversis, sed synonymis : ut, si probetur gladium acutum esse, quia ensis est. 3º. Quum quaestio probatur per aequi igno- tum : ut, si probetur hominem esse risibilem, quia equus hin- nibilis.* 4º. Quum Propositiones mutuo et circulariter se pro- bant : ut, si probetur ignem esse calidissimum, quia tenuissi- mus est ; et mox tenuissimum, quia calidissimus. Solvitur ostendendo vanitatem et nugationem talis Argumentationis.

§. 8.
Fallacia
secundum
plures in-
terrogati-
ones.

Fallacia secundum plures interrogaciones ut unam, est quum plures quaestiones ita proponuntur conjunctim, ut una tantum quaestio videri possit. Contingit id duobus modis. 1º. Quum quaeritur idem Praedicatum de diversis Subjectis : ut, Suntne mel et fel dulcia ? 2º. Quum de Subjecto eodem diversa Prae- dicata quaeruntur : ut, Estne homo animal et lapis ? Solvitur

* ‘hinnibilis.’ In the Fifth and subsequent Editions, ‘est hinnibilis.’

respondendo non una responsione ad omnes interrogationis partes simul, sed distincte ad singulas.

Quaestiones Capitis Vicesiminoni.

1. De Fallaciis extra Dictionem in genere.
2. De Fallacia Accidentis.
3. De Fallacia a dicto secundum quid ad dictum simpliciter.
4. De Fallacia Ignorationis Elenchi.
5. De reductione omnium Fallaciarum ad ignorationem Elenchi.
6. De Fallacia a non Causa ut Causa.
7. De Fallacia Consequentis.
8. De Fallacia Petitionis Principii.
9. De Fallacia secundum plures Interrogationes ut unam.

CAP. XXX.

De Ordine et Methodo in Genere.

CONSIDERATA Argumentatione, reliquum est alterum Discursus Instrumentum, Ordo seu Methodus. Qui accuratius ista distinguunt, Ordinem volunt esse integrae alicujus Disciplinae, Methodum etiam particularium Conclusionum; atque Ordinem disponere, Methodum etiam inferre. Nos utrumque habemus pro eodem. Est autem Ordo, seu Methodus, ratio ita disponendi partes alicujus Disciplinae vel Tractationis, ut facillime a nobis integra discatur.

Methodus alia est Inventionis, alia Doctrinae; diversa enim prorsus via ad Disciplinarum praecepta indaganda, et indagata docenda, incedimus. Inventio prior est, Doctrina nobilior. Utraque a notioribus nobis ad ignotiora nobis procedit, sed alio tamen et alio modo. Nam praecepta indagamus ascendendo, hoc est, progrediendo a sensilibus et singularibus, quae sunt notiora nobis simpliciter, ad intelligibilia et universalia, quae sunt notiora natura; sed praecepta tradimus descendendo, hoc est progrediendo ab universalibus et intelligibilibus, quae sunt notiora natura, et nobis etiam distincte, ad minus universalia et sensui propinquiora, velut ignotiora.

Methodi Inventionis quatuor sunt Media, et velut gradus per quos ascendimus. Primus, Sensus est, cuius adminiculo colligimus aliquam singularis rei notitiam. Secundus, Obser-

§. 1.
Methodi
vox et
Definitio.

§. 2.
Methodus
Inventio-
nis.

§. 3.
Methodi
Inventionis
Media.

vatio, sive Historia, qua colligimus, et mente collocamus, quae sensu aliquoties hausimus. Tertius, Experientia, qua collectas plures observationes ad certum usum applicamus. Quartus et ultimus, Inductio, qua collectas plures experientias ad universalem Conclusionem constituendam adhibemus.

§. 4.
Methodi
Inventionis
Media.

Methodus
Doctrinae
alia est

- 1. Compositiva; quae, a notione Subjecti incipiens, principia ejus et affectiones et species investigat: haec tradendis Disciplinis Theoreticis inservit.
- 2. Resolutiva; quae, a notione Finis incipiens, ejus Subjectum et Media investigat: haec Disciplinis Practicis, hoc est, Prudentiis et * Artibus tradendis inservit.

Leges utriusque Methodo communes sunt,

§. 5.
Lex Brevi-
tatis.

I. Lex Brevitatis. Nihil in Disciplina desit, aut redundet. Mutilatio enim est, non Compendium, siqua pars necessaria desit. Redundantia vero et Tautologia in praceptis nauseam pariunt: in praceptis dico, non in exemplis, aut commentariis; exempla enim si sint frequentiora, et commentarii si pliores, ita non damnamus, ut probemus magis.

§. 6.
Lex Har-
moniae.

II. Lex Harmoniae. Doctrinae singulae partes inter se consentiant. Pessime docet, qui quod hic ponit, alibi per incogitantiam evertit.

§. 7.
Lex Uni-
tatis.

III. Lex Unitatis, sive Homogeniae. Nihil in Doctrina praecipiatur, quod non sit Subjecto aut Fini homogeneum. Dico Subjecto, propter Scientias; Fini, propter Artes et Prudentias. Damnat Aristoteles merito transitum a genere ad genus.

§. 8.
Lex Gene-
ralitatis.

IV. Lex Generalitatis, sive Antecessionis et Consecutionis. Praecedat in docendo id, sine quo alterum intelligi nequit, sed ipsum sine altero. Lumen enim accipient oportet et robur sequentia a praecedentibus, non haec ab illis.

§. 9.
Lex Con-
nexione-

nis.

Lex Connexionis. Singulae partes Doctrinae aptis transitionibus connectantur. Crebris enim interruptionibus turbantur intellectus et memoria; apta vero colligatione et utrumque juvabitur, et Methodi ratio manifesta fiet. Operae facturus pretium qui docet, Methodi connexionem et rationem universam tabula aliqua sive diagraphe compendiaria discipulis repraesentabit.

* In Editions subsequent to the Third, 'aut Artibus.'

Quaestiones Capitis Trigesimi.

1. De Ordinis et Methodi distinctione.
2. De utriusque Definitione.
3. De Methodo Inventionis.
4. De quatuor Mediis Inventionis.
5. De Methodo Doctrinae : an sequatur rerum naturam magis, vel nostrae cognitionis facultatem.
6. De Lege Brevitatis.
7. De Lege Harmoniae.
8. De Lege Unitatis.
9. De Lege Generalitatis.
10. De Lege Connexionis.

CAP. XXXI.

De Methodis in Specie.

METHODUM Syntheticam sive Compositivam, Scientiarum, §. 1.
 quae contemplative sunt, propriam diximus. Partes ejus Methodi
 Compositiores sunt, Subjectum, Subjecti Affectiones, et Affectionum vae partes.
 Principia, quae sunt omnia suo modo Praecognita, quemadmo-
 dum ostensum supra est cap. 11. hujus libri. Nec est quod
 Species quartam partem addamus, tum quod possit esse
 Subjectum alieujus Scientiae, quod non habet Species : tum
 quod Species Subjecti totalis sunt etiam Subjecta suo modo,
 scilicet partialia.

De hac Methodo sunt speciales Leges.

I. Lex Unitatis. Unitas Scientiae pendet a Subjecti unitate, §. 2.
 Subjecti scilicet vel Materialis, vel saltem Formalis. Materiale Lex Uni-
 tatis. Subjectum est res considerata : Formale est ratio secundum
 quam consideratur. Illud unum potest esse et idem multarum
 Disciplinarum, ut, Arithmetica et Musica considerant nu-
 merum : hoc uniuscujusque Proprium, ut, Arithmetica nu-
 merum considerat, qua numerum : Musica eundem, qua
 sonorum.

§. 3.
Lex Generalitatis.

II. Lex Generalitatis. Magis Universalia praecedant minus Universalia. Prius ergo agendum de Subjecto in genere, quam de Speciebus ejus : ut, in Physica prius agendum est de corpore naturali in communi, quam de Coelo aut Elementis aut Animalibus. Amplia Legem et ad Universalia in causando ; agendum enim prius de Principiis, quam de Affectionibus Subjecti.

§. 4.
Methodi ratio in Disciplinis Contemplativis.

Unde in Scientiis Methodi ratio haec est. Primo agendum de Subjecti notione paucis tantum, ut aliquo modo praecognoscatur : secundo loco de ejus Principiis ; tum de communibus ejus Affectionibus ; de Speciebus deinceps, descendendo a simplicioribus ad magis compositas, dum ad infimas perveniat. Hac Methodo accurate utitur Aristoteles in tradenda Disciplina Physica.

§. 5.
Methodi Resolutivae partes.

Methodi Analyticae, sive Resolutivae, quae Prudentiis et Artibus inservit, partes sunt tres, Finis, Subjectum, et Media. Finis enim introducendus est in Subjectum per Media quaedam.

Ejus speciales sunt Leges.

§. 6.
Lex Unitatis.

I. Lex Unitatis. Unitas Disciplinae operatricis pendet ab unitate Finis. Quod enim Subjectum est in contemplativis, id Finis est in operativis.

§. 7.
Lex Generalitatis.

II. Lex Generalitatis. Magis Universalia praecedunt minus Universalia. Intellige de Universalibus, et causando et in praedicando ; atque in causando rursum, et respectu Causae Finalis, quia praecognitio Finis praecedere debet Mediorum investigationem ; et respectu Causae Efficientis, quia notitia Principiorum debet praecedere notitiam Mediorum.

§. 8.
Methodi ratio in Disciplinis operatricibus.

Unde in operatricibus Methodi ratio haec est. Primo agendum* de notione Finis, ut de praecognoscendo : mox de Subjecto, in quod Finis introducendus est : tertio loco de Principiis Mediorum : quarto de Mediis ipsis, iisque primo in genere : postea specialius, dum ad infima perveniat. Ut in Ethica Prudentia, primo agitur de Felicitate, ut de Fine, tum de Hominis intellectu, voluntate, affectibus, ut Subjecto Felicitatis : inde de Electione, Fuga, Consuetudine, &c. quae

* ‘agendum.’ In the First and Second Editions, ‘agatur.’

sunt Principia virtutum ; de virtutibus demum ipsis ut Mediis ad Felicitatem in genere, et in specie.

Quaestiones Capitis Tricesimiprimi.

1. An sit unica omnium Disciplinarum Methodus ?
2. De Methodo Compositiva.
3. De Lege Unitatis in illa.
4. De Lege Generalitatis in illa.
5. De Methodo Resolutiva.
6. De Lege Unitatis in illa.
7. De Lege Generalitatis in illa.
8. An sit praeter istas alia Methodi species ?



APPENDIX PRIMA

DE

USU LOGICAE.

CAP. I.

*De Tractatione Simplicis Thematis, sive de Genesi
Thematica.*

DISCIPLINARUM Instrumentalium, in quarum numero est §. 1.
Logica, vis omnis in usu sita est: Usum proinde Logicae Distributio
reliquum est ut paucis ostendamus. Is autem duplex;* vel cendorum.
enim ipsi aliquid secundum Artis Logicae pracepta commen-
tamur, vel ab aliis commentata artificiose resolvimus. Illa
γένεσις dicitur, sive Tractatio; haec *ἀνάλυσις*, sive Resolutio.
Tractatio omnis vel est simplicis Thematis, quod explicandum;
vel Problematis, quod argumentis discutiendum; vel integrae
Disciplinae, quae Methodice disponenda proponitur. Genesin
Thematicam, Problematicam, Methodicam, non incommode
dixeris.

Thema Simplex est quidquid concipi exprimive potest circa §. 2.
affirmationem et negationem. Themata autem Simplicia, ut Expendio
non sunt omnia unius rationis, ita nec uno omnino modo Thematicis
tractanda. Expendat itaque oportet animo prius Thema Simplicis.
aliquod tractaturus, quam ad operandum accedat, ipsius conditionem:
sitne Ens Reale, an Rationis; Universale, an Singulare;
Substantiale, an Accidentale; Totale, an Partiale;
Absolutum, an Relatum; Abstractum, an Concretum; Unum,

* In some of the later Editions, ‘est duplex.’

an Aggregatum, &c. Sed non persequor ista sigillatim. Consultius fuerit tantum praecepta quaedam magis communia exhibuisse, quae tractandis Thematibus plerisque, praesertim perfectioribus, inserviant, eorumque praxin unico exemplo ostendisse.

§. 3.
Explicatio
Nominis.

Thematis expensi Tractatio in Explicatione consistit tum Nominis, tum Rei. Ordiendum autem a Nominis, cuius explicandae sunt δύωνυμία, συνωνυμία et παρωνυμία. Ὁμωνυμία explicatur aperiendo, si qua sit, vocis ambiguitatem, varias ejus significaciones et acceptiones in medium afferendo; unamque ex omnibus diligendo eam, de qua praesens instituitur Tractatio. Συνωνυμία explicatur recensendo varias ejus appellations, et in eadem et in aliis linguis. Παρωνυμία explicatur declarando vocis notationem, et originem, atque etiam conjugata. Ad explicationem Nominis Lexica magno erunt adjuvamento, quum Generalia variarum Linguarum, praesertim quae Etyma vocum notant et Linguarum harmoniam, tum quarundam Disciplinarum Propria, qualia sunt Dictionaria Theologica, Juridica, Medica, Philosophica. Caeterum praedicta non sunt omnia et semper et ubique adhibenda in Nominibus explicandis; sed delectu opus est, et judicio, ut ea solum adhibeantur, quae ipsi rei explicandae opportuna videbuntur.

§. 4.
Explicatio
Rei.

Res explicantur Attributione, et Distributione. Illa fit, quum Thematici subjecto alia attribuuntur; haec, quum ipsum Thema in suas partes distribuitur. Attribuuntur autem Thematici quaedam Essentialia, quaedam non Essentialia. Essentialia hic intellige, non solum quae proprie constituunt Essentialiam, Genus et Differentiam; sed illa universa, quae ad constituendam plenam et perfectam rei Definitionem quoquo modo pertinere supra dictum est, Lib. 1. Compend. Cap. 17. paragr. 5. Qualia sunt in Substantiis Propria Accidentia, in Accidentibus Propria Subjecta et Objecta, in utrisque Causae Efficientes et Finales; quaeque aliquibus istorum proportione respondent; ut Materia in Artificialibus habet rationem Subjecti; Correlatum habet rationem Objecti in Respectivis; et Fundamentum Causae Efficientis in Potentiis; Actus proprius habet rationem Finis, &c. Quae praeter ista sunt, omnia sunt non Essentialia. Essentialia merito primum in Tractatione locum vindicant: non Essentialibus conveniet novissimus: inter haec et illa Distributio medio loco commodissime collocabitur.

Inter Essentialia Genus, quia communissimum, primum; * idque assignandum est semper quam fieri potest propinquum; et hoc maxime in Substantiis, additis etiam Causis Efficientibus Principalibus, Impulsivis, et Instrumentalibus; et Fine tum proximo, tum etiam remotis †. At quoties Thema Accidentale tractandum venit, Generi subnectenda erunt, praeter jam dicta, Subjectum ejus proprium, et adaequatum Objectum. Ista autem dico, omnia, vel aliqua, plura, vel pauciora, prout casus exiget, et conditio ipsius Thematis. Ex quibus demum integra conficienda est Definitio Rei Essentialis, quae claudat hanc Tractationis partem. Placuisse video permultis diversam omnino ab hac pergendi rationem, quos integrum Definitionem primo statim loco posuisse juvat, mox eam per singula membra resolvisse. Quibus assentior in texendis Disciplinarum Compendiis, atque alias etiam, quoties insigni brevitate opus est. Ast ubi Thema aliquod laxius tractandum proponitur, suaderem studiosis, praesertim minus exercitatis, ut illa potius incedant ‡ via, quam jam ostendi; quod naturae convenientius sit a primis et simplicibus Terminis, ad ortos § et compositos colligendo procedere, quam e contra, resolvendo.

Investigata Definitione ac proposita, Thema mox distribuendum est in suas species aut partes, sive eas habeat proprias et per se, sive impropias aut per accidens. Sed partes vel nominasse tantum ut plurimum sufficiet, aut saltem explicuisse quam paucissimis, quantum scilicet necesse est ad pleniorum ipsius Thematis intelligentiam; neutquam vero sunt justa tractatione, et fusius declarandae. A Divisione ad Attributa transeundum non Essentialia, quae sunt aut Effecta, aut Comparata.

Effecta plerumque late admodum patent, et copiosam suppeditant tractandi materiam. Sed Effecta Thematis, siqua sint aut minus nobilia aut nimium communia, poterit quisque

* ‘primum.’ In some of the later Editions, ‘et primum.’

† ‘remotis.’ So in all the Editions I have seen previous to the Tenth, which has ‘remota.’

‡ ‘incedant.’ In the Tenth Edi-

tion, ‘incederent,’ probably in consequence of ‘incident’ having been erroneously given in a preceding Edition.

§ ‘ad ortos.’ See above, p. 35.

§. 5.
Per Attri-
buta Essen-
tialia.

§. 6.
Per Distri-
butionem.

§. 7.
Per Effecta.

pro suo arbitrio, vel tacitus omittere, vel nominata praeterire. Nobiliora vero et magis propria conveniet ad certas velut classes, maxime si multa sint, revocare, quo distinctius et enucleatius explicentur. Sed quia saepius contingit, ut Effecta cum Propriis Accidentibus, aut Fine, aut aliis attributis, vel reipsa coincidunt, vel saltem, propter cognitionem quam cum illis habent, coincidere videantur, dispiciat oportet cum judicio Thema aliquod tractaturus, quo quaeque commodissime referri possint, debeantve; an ad Effecta, an vero ad Proprietates, aut Finem, aut aliud aliquod Thematis Attributum; ne cogatur idem bis aut pluries in unius Thematis Tractatione repetere. Porro hic Effectorum locus est afferendis exemplis maxime opportunus.

§. 8.
Per Cognata.

Post Effecta sequentur Comparata, quae vel Cognata sunt, vel Opposita: quorum Cognata comparantur cum Themate, ut cum eo convenientia; Opposita, ut pugnantia. Thema explicatur per comparationem Cognatorum, quum ea quae ipsi aliquaratione sunt eadem aut similia afferuntur; ostenditurque in quo sita sit Identitatis aut Similitudinis inter ea ratio, itemque Diversitatis et Dissimilitudinis. Ratio Identitatis et Similitudinis inter Cognata declaratur, quum ostenditur in quo eodem aut simili convenient; vel Genere, ut Comitas et Urbanitas; vel Causa Efficiente, ut Augmentatio et Nutritio; vel Materia, ut Ros et Pruina; vel Fine, ut scribere et loqui; vel Subjecto, ut Fides et Charitas; vel Effectu, ut Magnes et Succinum; vel Proportione, ut Sol et Oculus; vel alio quam Cognitionis vinculo. Quinetiam quandoquidem est aliquod perpetuo inter Cognata discrimen, alias Cognata non essent amplius sed eadem, Convenientia explicata, aperienda est consequenter eorum Discrepantia et Dissimilitudo: sive Genere differant, ut Sol, et Oculus; sive Causa Efficiente, ut Ros et Pruina; sive Materia, ut Os et Cartilago; sive Fine, ut Physica et Medicina; sive Subjecto, ut Lux et Lumen; sive Objecto, ut Comitas et Urbanitas; sive Circumstantia aliqua Loci, Ordinis, aut Temporis, ut Crepusculum et Aurora; sive Mole, ut Collis et Mons; sive Gradu, ut Liberalitas et Magnificentia; sive alio quoconque demum modo.

§. 9.
Per Opposita.

Adhibenda sunt ultimo loco Opposita, ubi Thema explicandum est per collationem ad ea quae cum ipso pugnant; Opposita enim juxta se posita magis clucent. Oppitorum

autem quatuor sunt genera, de quibus, Lib. i. Compend. cap. 15, Relata, Contraria, Privativa, et Contradictoria. Sed Contradictorium Thematis notabilem lucem ei praestare non potest, propterea quod vagum sit nimis et infinitum. Correlatum vero Thematis, quod ad ejus Definitionem pertineat, inter Attributa Essentialia potius censetur. Sola ergo Privativa et Contrarie Opposita hic locum et usum habent, ut quae sola apta sunt hoc modo declarare atque illustrare sua Opposita. Quibus expositis, et cum Thematice collatis, non est quod ulterius desideretur in simplicis Thematis Tractatione. Totius negotii praxin unico exemplo aliqualiter exhibeo. Esto ergo Thema tractandum

INVIDIA.

Expensa imprimis in animo Thematis conditione, invenio §. 10.
Exemplum
Tractatio-
nis Thema-
tiae. ipsum esse Accidens Universale, Absolutum, et Abstractum. Mox tractationem ordior. Ubi considero Invidiae

I. NOMEN, ejusque

1º. *Ομωνυμίαν*. Sumitur enim passive et active, notante Cicerone, Lib. iv. Tusc. Quaest. vii. 16. Active, rursus, vel in bonam partem, pro honesta aemulatione; vel in malam partem, pro vitiosa tristitia de bono alterius; qua ultima significatione impraesentiarum accipitur.

2º. *Συνωνυμίαν*. Appellatur enim hoc vitium Latinis, 1. Invidia, quam appellationem pleraequae Linguae vulgares sequae sunt: 2. Livor. Graecis vero, 1. Φθόνος, 2. Βασκανία, 3. Ζῆλος, &c.

3º. *Παρωνυμίαν*, ibique

1. Etyma vocum in variis Linguis, ut 1. Invidia ab *In* particula intensiva, et *video*, quod invidus oculos continuo fixos habeat in alienam felicitatem. 2. Livor a colore livido qui plerumque in invidis cernitur. 3. Φθόνος, velut ἀπὸ τοῦ φόνου, quod invidus vel semet animi aegritudine quodammodo interficiat, vel necem optet ejus, cui invidet.

2. Conjugata: qualia sunt, 1. Adjectiva: Invidiosus, Invidus; sed Invidus active solum significat, Invidiosus et active et passive, frequentius tamen passive. 2. Substantivum: Invidentia: qua voce Cicero potius utendum judicat quam Invidia, quod liberior sit ab ambiguitate *, quum Invidia utro-

* Tusc. Quaest. III. ix. 20.

que modo dicatur, Invidentia non nisi active. 3. Verba, Adverbia, &c. Sed ista fortasse plus satis.

II. ATTRIBUTA ESSENTIALIA : ubi

1º. Genus. 1. Remotiora nonnulla : scilicet Passio, Passio animi, Dolor sive Aegritudo. 2. Proximum : Dolor vitiosus.

2º. Differentia : sumpta

Primo, a Subjecto, qui sunt homines plerique omnes ; paucissimi enim ab hoc affectu liberi, non tamen simpliciter omnes, sed ii fere qui mali sunt animi, et impotentes cupiditatum suarum.

Secundo, ab Objecto, quod est duplex, *Quod* et *Cui*. Objectum *Quod* est Bonum cujuscunque generis: verum, apparenſ, honestum, utile, juicundum ; animi, corporis, fortunae, famae, ne ipsa quidem virtute excepta. Objectum *Cui* est in universum quivis homo alter, superior, par, aut inferior ; invidemus enim superiori, quia ei non aequamur ; pari, quia nobis aequatur ; inferiori, ne nobis aequetur. Sed tamen intra certam quandam proportionem loci, temporis, et conditionis aliqua ex parte aequalis ; nemo enim invidet aut olim defunctis, aut longius remotis, aut immenso intervallo superioribus, inferioribusve : secundum illa, ‘Pascitur in vivis livor.’ Ζῆλοι* δέ τε γείτονα γείτων. Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ. ‘Extra omnem invidiae aleam &c.’

Tertio, a Causa Efficiente. 1º. Principali, et Interna, in eo qui invidet, quae superbia est, et inordinatus amor sui : quia enim quis ex vitio φιλαντίας propriae excellentiae nimium indulget, propterea ringitur quoties aestimat eam alienae felicitatis objectu† minui et obscurari. 2º. Impulsiva, et Externa, quae multiplex esse potest et varia: sive, 1. in eo cui invidetur : ut, si inimicus, si rivalis, si indignus, si felicitatis suae, facto aut verbis, prodigus ostentator, aut quid simile ; sive 2. in tertia aliqua persona : ut despectio, adulatio, susurrations &c. quae sunt omnia permagni momenti ad Invidiam concitandam.

* Ζῆλοι δέ τε γείτονα γείτων
Εἰς ἄφενον σπεύδοντ̄. ’Αγαθὴ δὲ ἔρις ήδε βροτοῖσι·
Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων,
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονεῖ, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Hesiod. Opp. et Di. i. 23.

† ‘objectu.’ So in the First and Second Editions. In all the rest, objecto.’

3º. Integra Definitio, eaque 1. Brevior: Invidia est tristitia mala de bono alieno. 2. Plenior: Invidia est vitiosa animi aegritudo, qua quis prae nimio sui amore contrastatur de bono quo alterum frui videt, aut praevideat fruiturum, in quantum aestimatur diminuere propriam excellentiam.

III. DISTRIBUTIONEM. Ubi breviter expedio tres Invidiae species, postremam quamque pessimam: quarum prima est, quum quis aegre fert alium frui aut fruiturum bono, in specie vel gradu, quo ipse potiri non potest pariter. Secunda est, quum quis aegre fert alium frui aut fruiturum bono, quo ipse fruitur, sed cupit frui solus. Utramque hanc Invidiae speciem Lucanus brevi sesquiversu et expressit eleganter, et egregiis exemplis illustravit Caesaris et Pompeii, lib. 1. Phars. 125.

Nec quemquam jam ferre potest Caesarve priorem,
Pompeiusve parem.

Tertia est quum quis proprium bonum corrumpit, aut ejus usum sibi etiam negat, ne fore alteri bono esse possit; quo sensu Plinius aliquie, per translationem similitudinis, cervum, stellionem, et alia quaedam animalia invidiae* notarunt. Laborare hac pessima aerugine non paucos eruditorum, nimio notius est quam ut hic ostendatur.

IV. EFFECTA, quae sunt partim Interna, respectu ejus qui invidet, partim Externa, respectu ejus cui invidetur. Invidia enim 1º. Mentem perpetuo cruciat, et omnem vitam reddit inquietam. 2º. Corpus etiam vultumque non deformat modo, sed etiam velut tabe quadam consumit. Justissimum malum, quae et culpa est eadem et poena, nec minus flagellum quam vitium. 3º. Reddit hominem bonis malisque pariter invisum, odiosum universis. 4º. Impellit ad quaevis flagitia perpetranda. Obtrectationes, doli, calumniae, jurgia, seditiones, homicidia (quae non mala denique?) ex radice pullulant Invidiae. Eum vero, cui invidetur, Invidia plurimis periculis exponit. Declinabit itaque vir sapiens quantum in ipso est, Invidiam: id quod faciet † primum, si gaudeat in sinu suo, et bonis quae habet tacitus frui malit, quam ea vane praedicando

* 'invidiae.' So in the First, † 'faciet.' So in the First and Second, and Third Editions. Sub- Second Editions. Subsequently, sequently, 'invidia.'

limos oculos et animos irritare : deinde, si curet ita se gerere, ut felicitate, quam occultare non potest, non omnino indignus videri possit.

V. COGNATA, quae sunt, inter alia,

i. Odium : quo quis aliquem animo aversatur, eique male vult. Convenit cum Invidia, 1^o. Subjecto, etsi non reciproce; semper enim qui invidet alteri, ipsum odit, etsi non e contra. 2^o. Causa Efficiente interna : quae est, utrobique, elati animi superbia et caecus amor sui.

ii. Ἐπιχαιρεκακία, quum quis gaudet de malo alieno. Convenit cum Invidia, 1^o. Subjecto proprio et reciproce ; nam qui de bono alterius contrastatur, laetatur de malo, et contra.

2^o. Causa Efficiente, ut supra.

Differunt tamen ab Invidia,

i. Odium. 1^o. Subjecto ; potest enim esse Odium in quo non est Invidia. 2^o. Objecto Quod : quod in Invidia non nisi Bonum est ; at in Odio potest esse Malum. 3^o. Objecto Cui : quod latius est Odio, quam Invidiae*. Invidemus enim hominibus tantum, non Deo, nec nobis ipsis, sed aliis ; ast odisse possumus et alios homines, et nos ipsis, et alias creaturas, et ipsum Deum. Invidemus iis tantum qui sunt nobis aliqua saltem proportione aequales ; ast odisse quis potest, et diu defunctos, et longe dissitos, et immenso intervallo superiores aut inferiores.

ii. Ἐπιχαιρεκακία. 1^o. Genere : nam Invidiae Genus Dolor est : ἐπιχαιρεκακίας Laetitia. 2^o. Objecto Quod : ἐπιχαιρεκακία enim de Malo est, Invidia de Bono.

VI. OPPOSITA, quae sunt potissimum ista,

1^o. Sympathia, sive benevolus affectus, quum quis sic comparatus est, ut alteri bene velit, bonumque ejus serio et ex animo gratum habeat ; atque iste affectus Invidiae ex diametro adversatur. 2^o. Honesta Aemulatio, quum quis dolet se ab aliis bono aliquo superari aut aequari, quos par erat ipsum superasse : non quod aegre ferat profectum alienum, sed quod desiderat suum. Invidia hominum malorum est : Aemulatio bonorum : proficiscitur haec ab animi magnitudine ; illa elatione. Illa incenditur animus, ne bene sit alteri : hac, ut bene sit sibi.

* In the latest Editions, ‘Odium quam Invidia.’

Hanc tractandi rationem si in aliis Thematibus imitari velit §. II.
 studiosus juvenis, faciet cum fructu suo. Sed non erit nimium Imitationis
 superstiosus, nec curabit ista omnia singula praecise ubique ratio et
 adhibere, nec enim res feret; sed istis addat, dematve licet, aut ornatus.
 etiam immutet nonnulla, quivis pro suo judicio, et subjecti Thematis exigentia. Utile etiam fuerit, etsi Logicus qua talis
 hoc non praeccipiat, inter tractandum sententias bonorum auctorum, velut gemmas, locis idoneis inseruisse. Sed 1. Si
 sint breves. 2. Si instituto accommodae. 3. Si quid habeant acuminis, aut elegantiae non vulgaris; nam quae aut prolixae sunt, aut studiosius quaesitae, aut languidae, et e trivio, perpetuo sunt ingratae. Ornabis etiam Tractationem, si aptis Formulis utare, ubi opus est: quarum copiam sub suis titulis libello seorsim descriptam in promptu habere perutile erit. Quales sunt Formulae explicandi Vocabulorum ambiguitates et etyma; rerum Causas efficientes, impulsivas, instrumentales; finem, materiam, subjectum, objectum, integras Definitiones, Distributionem, Effecta, Cognitorum convenientiam et differentiam, Oppositionem Privativam, et Contrariam, &c.

Quo autem suppetat juventuti ad manum uberior copia omnis generis Thematum, quibus tractandis semet exerceat, experienturque quid praestare valeat, et quantum in re Logica profecerit, visum est, coronidis loco, sylvulam materiae tractandae subjicere. Esto ergo exemplum Thematis

§. 12. Materia
practicandi.

i. Substantialis. 1. Universalis: Canis, Metallum. 2. Singularis: Cicero, Bucephalus. 3. Partialis: Manus, Oculus, Cerebrum. 4. Aggregati: Oceanus, Galaxia.

ii. Accidentalis. 1. Absoluti: Lumen, Nutritio, Metus. 2. Relati: Conjugium, Locus. 3. Singularis: Conjuratio Catilinae, Acumen Aristotelis. 4. Concreti: Princeps, Orator. 5. Aggregati: Philosophia.

iii. Non-Realis. 1. Secundae Notionis: Metaphora, Syllogismus, Aequator. 2. Privativi: Caecitas, Mors. 3. Figimenti: Sisyphus, Chimaera, Phoenix.

Subtituli Capitis Primi.*

1. De Genesi et Analysis.
2. De Genesi Triplici.

* ‘Subtituli.’ In the First and Second Editions, ‘Quaestiones hujus Capitis.’

3. De notatione, et expensione Thematis simplicis.
 4. De Explicatione Nominis.
 5. De Explicatione Rei per Attributa Essentialia.
 6. De Distributione.
 7. De consideratione Effectorum.
 8. De consideratione Cognatorum.
 9. De consideratione Oppositorum.
- De Tractatione
- | | |
|-------------|------------------|
| Substantiae | 10. Universalis. |
| | 11. Singularis. |
| | 12. Partialis. |
| | 13. Aggregatae. |
| Accidentis | 14. Absoluti. |
| | 15. Relati. |
| | 16. Singularis. |
| | 17. Concreti. |
| | 18. Aggregati. |
19. Secundae Notionis.
 20. Entis privativi.
 21. Entis ficti.

CAP. II.

De Tractatione Problematis Solitaria.

§. I.
Notio et
Expensio
Problema-
tis.

GENESIS Problematis est Tractatio Problematis per argumentorum collationem, ut veritas elucescat. Est autem Problema Propositio in disreceptionem vocata, cuius conditiones vide fusius, lib. iii. Compend. cap. 17. paragr. 2. Ejus partes eaedem sunt' quae et Propositionis, scilicet Subjectum et Praedicatum,* licet non semper expresse proponatur per modum Propositionis. Proponitur enim Problema, vel integre, vel diminute. Integre proponitur, 'quoties certo constat de utroque Termino, et ambigitur tantum utra pars Contradictionis sit vera; ex primiturque vel positive, quum altera pars definite statuitur, ut, 'Logica est Ars'; vel negative, ut, 'Forma non est Principium Individuationis' et Thesis dicitur; vel interrogative, quum utraque pars ex aequo dubia relinquitur, ut, 'An Logica sit Ars?' 'An forma sit Principium Individuationis?' et Quaestio dicitur. Diminute proponitur

* In the First and Second Editions, 'Subjectum, Praedicatum, Copula.'

quoties expresso tantum altero Terminorum ambigitur de reliquo; exprimiturque varie, sed fere ad modum Thematis aut Quaestionis simplicis, ut, ‘De Genere Logicae,’ ‘De Principio Individuationis;’ aliquando tamen plenius et per disjunctionem, ut, ‘Sitne Logicae Genus Ars, vel Scientia, vel Habitus instrumentalis ab utraque diversus?’ ‘An Materia sit principium Individuationis; vel potius Forma, aut Accidens, aut quid aliud?’ Nos, distinctionis ergo, Problema integrum, Categoricum dicemus; Diminutum, Disjunctivum.

Tractatio utriusque generis Problematum aut Solitaria est, Tractatio aut Socia. Solitarie tractatur Problema, quum quis sine adver- nis Proble- sarii instantia Quaestione aliquam per se examinat. Cujus- maticae partes. modi Tractationis tres sunt praecipue partes, Παρασκευή, Κατασκευή, Ἀνασκευή, Praeparatio Quaestionis, Probatio Veritatis, et Dilutio Objectorum. Quibus etiam ex abundanti et praemitti potest, quasi Prooemii vice, Προπαρασκευή, de gravitate controversiae, atque dubii occasione; et subnecti, quasi Epilogi loco, Ἐπισκευή, repetitionem complectens summariam totius defensionis *, cum corollariorum inde emergentibus.

In Praefatione imprimis ostendetur gravitas Quaestionis prout res ipsa postulabit. Quod scilicet Problema tractandum non sit nullius vel levis momenti, sed vel de rebus aperte gravissimis, vel de iis quae etsi prima specie leviores videri possint, sunt tamen eae, sine quibus graviores nequeunt dextre intelligi aut explicari. Mox, si fieri potest, occasio dubii detegetur, et origo erroris: quae nimirum res ansam huic disputationi primae praebuerint, errorique et initium dederint et incrementum. Illud attentionem pariet, hoc benevolentiam sententiae nostrae; sed videndum, ut ista Logice fiant, hoc est, nude et aperte secundum rei veritatem, non invidiose et hyperbolice, ut Oratores solent. Quin et omitti potest omnis Praefatio, ubi aut minus necessaria est, aut Problema brevius tractandum.

Habita brevi Praefatione, Problema non statim probandum est, nisi ubi Termini satis perspicui sunt, et res ipsa parum controversa; sed praeparandum prius, Evolutione Tituli, et Conjectione Quaestionis. Evolutio Tituli est explicatio Terminorum Quaestionis, tum Subjecti, tum etiam Praedicati,

* ‘defensionis.’ So in the first Six Editions. In some of the later books ‘dispositionis.’

ejus utriusque brevis aliqua praecognitio habenda est, ut felicior sit progressus in reliqua Tractatione. Utile erit quidem, animo, aut etiam in scriptis seorsim, plenam Tractationem utriusque Termini secundum rationem in superiore capite traditam prius instituere, quam ad tractandum integrum Problema accedatur; sed ex istis paucula tantum sunt aperte ponenda in Tractatione ipsius Problematis, quae scilicet videri possint magis necessaria ad intelligendum sensum Quaestionis: qualia plerumque sunt, 1º. Vocabulorum variae Acceptiones, praecipue quae nobiliores et praesenti instituto accommodatores. 2º. Rerum Definitiones. 3º. Earum distinctiones a cognatis. Ponenda autem sunt ista praecognita, primo, ex parte Subjecti, secundo, ex parte Praedicati: atque ex parte quidem Praedicati tanto diligentius, quanto Praedicatum est Terminus principalior in Propositione.

§. 5.
Conjectio
Quaestio-
nis.

Conjectio Quaestionis, sive explicatio status Controversiae, est ostensio quid sit ultro citroque concessum, et quid proprie controversum. Est enim in omni Controversia aliquid commune, id quo partes consentiunt; et aliquid dubium, in quo non: illud διδόμενον dicitur, hoc ζητούμενον sive κρινόμενον. Illius expositio nobis Acceptio Dati, hujus Constitutio Quaesiti, satis idonee dicitur. Accipimus Datum, quum quaedam fundamentalia sumimus, vel supponimus, de quibus inter nos convenit et adversarios: adjuncta, si opus sit, brevi eorundem declaracione aut probatione per unum aut alterum principale argumentum. Constituimus Quaesitum, quum ostendimus perspicue in quo Summa Litis, sive ut loquuntur, ipsum Punctum Controversiae situm est. Id si dextre fiat, totum paene negotium confectum est; mirum enim dictu, quantum lucis hinc afferatur Probationi et Refutationi. Si Controversiarum in omni genere Scriptores hoc rite et accurate ubique praestarent, mille Controversiae in Philosophicis atque aliis jacerent dudum consopitae, de quibus hodie acerrimis animis disputatur. Huc pertinet variarum opinionum recensio, quae debet esse candida, ne eujusquam sententiam sinistra interpretatione pervertamus; succincta, ne prolixitas sit taedio; et tamen plena, ne dum brevitatib[us] studemus, videamur parum sincere alterius sententiam explicuisse.

§. 6.
Declaratio

Facta hujusmodi praeparatione, Κατασκευή sequitur, quae in sententia, quam defendendam suscepimus, declaranda et

adstruenda cernitur. In Problemate Categorico praestiterit ^{et Probatio Veritatis.} unica Thesi affirmante vel negante sententiam nostram breviter proponere, eamque aliquot rationibus confirmare: nisi sit acrius controversum, et multis limitationibus indigeat. Tunc enim plures Theses utilius proponentur, cum suis quaeque probationibus. In Problemate vero Disjunctivo, ubi fere opinionum major est varietas, et plures difficultates, necessarium erit defensionem nostram pluribus Propositionibus complecti, quas Theses, Conclusiones, vel Assertiones vocant: incipiendo more Aristotelico ab illis, in quibus removentur aliorum sententiae; et pergendo ad illas in quibus propria exponitur. Porro post singulas Conclusiones Argumenta quibus eae confirmantur ponenda sunt, petita partim a Ratione, partim ab Auctoritate. Rationum autem copiam, et delectum habebimus, si Subjecti Conclusionis primo, deinde Praedicati naturam et attributa mente percurramus: vel secundum rationem tractandi simplex Thema, cap. I. hujus Appendicis, vel per ordinem locorum Topicorum, lib. III. Compend. cap. 19. et deinceps. Non sufficiet tamen Argumenta sic nude proposuisse: fortiter premenda sunt, et defendenda, adversariorumque evasiones, subterfugia, et cavillationes quibus eorum vim et ictum declinare aut eludere satagunt, examinandae atque evertendae.

Confirmationem sequitur Ἀνασκεψή, Confutatio sive Dilutio Objectorum. Nec multum intererit quo loco Objectiones disponantur; sive ab ipso statim initio omnes ante Tituli Evolutionem, et Constitutionem status Quaestionis, quod fecere Thomas, Scotus, et Scholasticorum turba; sive omnes ultimo loco, et post Confirmationem nostrae sententiae; sive, quod suaderem magis, post singulas Opiniones, aut certe post singulas Conclusiones certae Objectionum classes quae pro tali opinione aut contra talem Conclusionem militare videntur. Solutiones pariter, aut singulis Objectionibus subjici possunt singulae, aut universis universae, pro cujusque arbitrio. Nec enim morari debent quemquam istae curae: illa potior est, quae demum ratione Argumenta objecta dextre et artificiose solvantur.

Id quo fiat apposite et cum judicio, consideranda sunt in Objectione tria haec, atque hoc ordine: Conclusio, Forma, Materia. Si enim afferatur Objectio, in cuius nec Forma nec Materia vitium sit, rejicienda tamen est tota, si non directe

§. 7.
Objectio-
nes.

§. 8.
Solutio ad
Conclusio-
nem.

contradicat alicui Conclusioni defensionis nostrae; saepe enim contingit vitium Ἐπεροξητήσεως, ut ea multis et operose confirmantur quae sunt extra Quaestionem, negligatur e contra id quod maxime probandum erat. Caeterum ejusmodi Objectiones operosa non indigent solutione: satis erat eas, ut alienas a Quaestione, rejecisse, atque ostendisse paucis, quod ex iis colligitur * non pugnare cum Thesi nostra. Huc spectant illae Formulae, ‘Απροσδιόνυσον hoc, et ad rem nihil.’ ‘Deseritur quaestio.’ ‘Concedatur totum, nec video quid incommodi sequatur.’ ‘Hoc non impugnat Thesin meam.’ &c. Quandoque Objectio allata contra Thesin aliquam, tam non evertit eam, ut confirmet magis: quod quoties fit, non rejicienda est tantum, ut impertinens, sed etiam retorquenda. Quo spectant Formulae, ‘Hoc facit pro me.’ ‘In hoc Adversarius meas partes agit.’ ‘Praevaricari hoc est, non objicere.’ ‘Dum hoc urget, miror ipsum non advertere, se propria vineta caedere,’ &c.

§. 6.
Solutio ad
Formam:

Si Objectionis Conclusio sit ad rem, et directe contradicat alicui Thesi nostrae, Forma Argumentationis proximo loco excutienda est, atque examinanda Objectio secundum Leges Syllogismorum Generales et Speciales, num sit rite disposita, vel non. Si, facto examine, constet Legem aliquam Syllogisticam violari; ut, si sint quatuor Termini; si Medium ingrediatur Conclusionem; si Propositiones sint pure particulares; si pure affirmantes in secunda figura; si arguatur a negatione antecedentis ad negationem consequentis in Hypotheticis; si in Inductione sit insufficiens enumeratio particularium, aut quid simile, solvetur Objectio negando ejus Formam, et detegendo particulare vitium in quo peccat. Ut si dicamus, ‘In hoc Syllogismo sunt quatuor Termini;’ ‘Manca est haec Inductio,’ &c. Et hoc in rigore satis est; sed expediet etiam vitium in Forma ulterius ostendisse, allato uno aut altero argumento, ejusdem omnino Formae, quod tamen manifeste sit vitiosum et absurdum. Cujus Formulae sunt, ‘Perinde hoc sequitur ac si quis probare velit &c.’ ‘Si sic argumentari liceat, non minus ego probaverim, &c.’ et aliae consimiles.

§. 10.
Solutio ad
Materiam.

Quod si nec Conclusio sit aliena nec Forma vitiosa, consideranda est Materia Objectionis ex Praemissis; et secundum

* ‘quod ex iis colligitur.’ In Editions subsequent to the Sixth, ‘quae ex iis colliguntur.’

ejus rationem instituenda erit Responsio ad Objectionem. Si qua Praemissarum sit manifeste falsa, aut non sufficenter probata, solvetur Objectio simplici ejus Negatione, adjecta, si videbitur, ratione aliqua cur eam negemus. Quod si ejusmodi sit Objectio ut nihil commode negari possit, Terminos, qui sunt Materia Praemissarum, expendere oportet, ut ex iis eruatur Responsio. Termini autem sunt, aut Extremi aut Medius. Expendendi autem primum Extremi: in quorum altero si lateat ambiguitas, ut plerumque fit, distinguendus est Terminus sic ambiguus, et respondendum ad Praemissam in qua ille Terminus reperitur, ostendendo Terminum illum aliter accipi in dicta Praemissa, aliter in Conclusione. Si non sit ambiguitas in Extremis, tunc Medius Terminus est expendendus, et secundum se, et ratione habita ad Locum ex quo ducitur. Secundum se consideratum Medium si sit ambiguum, respondendum est, ut prius, per distinctionem, ostendendo Medium non eodem modo sumi in Majore et Minore; et in uno sensu veram esse Majorem, Minorem falsam; in altero Majorem falsam, Minorem veram. Sin ambiguitas non appareat in Medio, recurrendum ad Locum Topicum, unde Medium videtur ductum: ut ex Maximis Locorum, et Maximarum Fallentiis judicari possit, rectene ductum sit argumentum ex illo Loco, vel non. Hic permagno erit adjumento, bone Lector, Locorum Topicorum Maximas et earum Fallentias usu tibi familiares reddidisse, atque Exemplis, quae singulis subjecta reperies, Lib. iii. Compend. cap. 19 et deinceps, alia plura addidisse: ut sic tibi copia Exemplorum ad manum suppetat, quae velut paria ei objicias, qui tibi afferat argumentum ex loco aliquo Topicо perperam ductum. Si constabit Objectiōnem niti aliqua Maxima non recte intellecta, respondebitur ostendendo cancellos et limites illius Maximae, quo sensu intelligenda sit, et quibus in casibus fallat; adeoque praesentem Objectionem ad aliquem dictorum casuum pertinere: quod etiam allatis aliis Exemplis in pari casu illustrabitur.

Expedita hactenus Confirmatione nostrae sententiae, et Dis- §. 11.
lutione Objectorum, poterimus cum brevi aliqua repetitione Collectio
Thesis, aut Thesium, quas defendimus, totam Problematis rum.
Corollario-
Tractationem finire. Nisi quod alicubi ἐπισκεψή propemodum
necessaria est, quum scilicet ex constitutione sententiae no-
straе quaedam Observations emergunt, quae aut ad praxin,

aut ad illustrandam aliam aliquam veritatem, aut ad evertendas alias adversarii assertiones videri possint non infimi momenti. Πορίσματα vocant et Consectaria, et Corollaria, quae per subsumptionem, aut ex nostra Conclusione inferuntur immediate, aut ad sic illatam consequuntur. Corollaria autem ista non necesse est novis adductis rationibus ulterius confirmare, satis enim jam ante confirmatae praesumuntur in probatione principalium Conclusionum; sed sufficiet ea posuisse tantum breviter, et adnotasse, ut ex principalibus Conclusionibus per necessariam et evidenter consecutionem deducta.

§. 12.
Exemplum
Tractatio-
nis Prole-
maticae.

Exemplo rem declaratam oportuit in studiosorum gratiam; sed prae studio brevitatis non tam justum Exemplum, quam Exempli rudem aliquam Ideam et velut skeleton exhibeo; idque in Tractatione Problematis Disjunctivi. Quod sit

DE GENERE LOGICAE.

Partes hujus Tractationis erunt

I. Προπαρασκευή, ubi ostenditur

i. Gravitas Quaestionis ob diversam Methodi rationem in Disciplinis Theoreticis et in Practicis.

ii. Occasio discrepantium Opinionum. 1º. Promiscuus usus Terminorum Ἐπιστήμης et Τέχνης, Scientiae et Artis, apud bonos Auctores. 2º. Infelix barbaries saeculi Scholastici, et ignoratio usus Logicae.

II. Παρασκευή, ubi

i. Evolutio Tituli. 1º. Logica hic tota ista * Disciplina, sed Docens, non Utens.† 2º. Ejus Genus quaeritur non Remotum sed Proximum.

ii. Conjectio Quaestionis, ibique

1º. Acceptio Dati. Ista enim largiuntur omnes, Logicam
1. esse Habitum intellectualem de prima specie Qualitatis.
2. nec Sapientiam esse, nec Prudentiam, nec Intellectum Principiorum. 3. et Scientiam dici posse, et Artem, in larga vocum acceptance. 4. esse instrumentum Philosophiae, et omnium Disciplinarum.

2º. Constitutio Quaesiti. Sed illud ambigitur, quodnam sit ejus Genus Proprium et Proximum: sitne illud Ars an Scientia:

* 'tota ista.' In some of the later Editions, 'tota est.'

† See above p. 3, note *.

an vero Habitus ab utraque diversus? Ubi occurrunt tres opiniones :

Prima, Avicennae, et Latinorum, Scoti, Thomae, Alberti et caeterorum, quod sit Scientia proprie dicta.

Secunda, Quorundam e Veteribus, et omnium fere Neoterorum, quod sit Ars proprie dicta.

Tertia, Graecorum, quos sequitur Zabarella, quod nec Scientia sit, nec Ars, sed Habitus instrumentalis ab utraque diversus.

III. Κατασκευή, ubi pro veritate declaranda pono quasdam Conclusiones; et sunt istae :

i. Logicae Genus non est Habitus Instrumentalis, a Scientia et Arte specificie distinctus. Probatur

1º. A sufficientia quinque Habituum Mentis, apud Aristot. lib. vi. Ethic. cap. 3. et alibi.

Respondet Zabarella, lib. i. de Natura Logicae cap. 11, Aristotelem ibi non intendisse nominare nisi tantum principales Habitus, sub quibus tamen inclusive intelligit Logicam et Grammaticam, ut eorum instrumenta, et ponit exemplum de discedente Patavio Romam, ut videre est plenius apud ipsum loco citato.

Sed contra, 1. patet ex Textu Aristotelem ibi voluisse enumerare omnes species Habitus in quibus est veritas: quare Habitus, quos Zabarella instrumentales vocat, aut non continent veritatem, aut sub aliqua dictarum Specierum continentur.

2. Grammatica est aperte una ex iis quinque, scilicet Ars.

3. Exemplum quod ponit non est ad rem, quia non est simile.

2º. Ab insufficientia fundamenti illius opinionis, quod non est aliud, quam quod Logica habeat rationem Instrumenti, sed ratio Instrumenti, quum sit respectus relativus,* non habet diversificare Species: ergo

ii. Genus Logicae non est Scientia proprie dicta.

Probatur

1º. A Subjecto, quod in Scientiis debet esse Ens Reale et Necessarium: quum Logica versatur circa secundas Intentiones, quae non sunt ante operationem nostri intellectus; et ea cessante, cessant: ergo

2º. A Fine, qui in Scientiis est contemplatio proprii Sub-

* 'respectus relativus.' So in the first three Editions. Subsequently, 'quum sit relativa.'

jecti, modo Logica in illa non acquiescit,* sed ordinatur ad cognitionem subjectorum in aliis Disciplinis: quum sit earum instrumentum ex quarto supposito: ergo

3º. A Testimonio Aristotelis, Lib. i. Topic. cap. 9, ubi distinguit de Problemate Ethico, Physico, et Logico; et consequenter separat Logicam a Prudentiis et Scientiis: vide Lib. iii. Compend. nostri cap. 17. sect. 2.

iii. Genus Logicae est Ars proprie dicta. Probatur

1º. Per Inductionem. Logica est Habitus mentis ex primo supposito; sed non est aliquis trium, ex secundo supposito; nec Scientia, ex tertia Conclusione: relinquitur ergo quod sit Ars.

2º. A Subjecto, quod in Artibus est aliquid effectibile a nobis propter Finem; sed hoc competit secundis Intentionibus in Logica: ergo

3º. A Fine. Logica docet effectiōnē Instrumentorum Logi-
corum: ergo

4º. A Testimonio tum Aristotelis, qui Logicam *τέχνην* vocat, Lib. ii. Elench. cap. ult. et alibi; tum aliorum, qui citantur a Keckermanno, Tract. 1. Praecog. Log. cap. 2. sect. 3.

IV. *Ἀνασκευή*. Ubi solvendae sunt Objectiones.

Prima Objectio, contra primam Conclusionem. Logica est Instrumentum: ergo et Habitus Instrumentalis.

Solutio. Hoc non probat quaesitum. Instrumentum enim praedicatur de Logica, ut Relatum in concreto de suo Sub-
jecto, non ut Genus de Specie.

Secunda Objectio, contra secundam Conclusionem. Logica est Habitus per demonstrationem acquisitus, ergo est Scientia. Consequentia patet ex Definitione Scientiae.

Solutio. Scientiae vox ambigua est. Sumitur enim vel large, pro omni Habitu certo Conclusionum, quo modo omnes Artes et Prudentiae possunt dici Scientiae; et sic intelligitur in Definitione allata, per quam distinguitur ab Opinione et Intellectu Principiorum: vel stricte, prout est una ex quinque speciebus Habitus contradivisa Arti et Prudentiae; et sic requiruntur aliae conditiones ad Scientiam, scilicet quod sit de Subjecto Necessario, et quod acquiescat in contemplatione ejus.

* ‘modo Logica in illa non acquiescit.’ So in the first six Editions. Subsequently, ‘Logica vero in illa.’

Tertia Objectio. Logicus est sciens : ergo Logica est Scientia. Sequitur Argumentum a Conjugatis.

Solutio. Non sequitur arguendo a Concretis ad Abstracta, ubi praedicatio non est per se. Vide Lib. iii. Compend. cap. 22. sect. 3. et sic est in hoc casu.

Quarta Objectio. In Logica est Subjectum proprium, sunt Passiones, sunt Principia ; et ista sunt omnia quae requiruntur ad Scientiam : ergo, &c.

Solutio. Negatur Minor. Nam ad Scientiam proprie dictam requiruntur alia, ut dictum est modo in responsione ad tertiam.

Quinta Objectio, contra tertiam Conclusionem. Logica non videtur contineri sub eodem Genere cum Arte Fabrili et Architectura ; sed illae sunt Artes : ergo, &c.

Solutio. Non continetur sub eodem Genere proximo, nam illae sunt Artes manuales, haec mentalis ; sed bene sub eodem remoto.

Sexta Objectio. Ars versatur circa materiam externam et crassam ; non sic Logica : ergo, &c.

Solutio Major, si sit Universalis, non est vera ; nam Effectio quae est propria Artis operatio, non minus est in Materia interna, quam externa.

V. Ἐπισκεψίᾳ, ubi

i. Brevis Repetitio. Ex dictis ergo constat Logicam nec Scientiam esse, nec Habitum nescio quem instrumentalem, sed proprie et γνησίως Artem.

ii. Collectio πορισμάτων. Quod quum ita sit, hinc intelligitur :

1º. Logicam non alia Methodo tradendam quam Analytica : id quod fecisse constat Aristotelem ex solo titulo Priorum et Posteriorum Analyticorum.

2º. Inutiliter eos operam dare Logicae, qui nuda cognitione contenti, usum ejus negligunt : secundum tritum illud, ‘Merus Logicus Merus Asinus.’

Hanc fere rationem in aliis Problematis sequi proderit, §. 13. Imitationis sed plenius : praesertim ubi variae sunt et multum dissidentes Ratio et inter se sententiae. At in Problemate Categorico saepe sufficiet angustiori via incedere, ubi Quaestio facilius conjici, et totum negotium una Thesi concludi poterit. Illud etiam admonendum, rationem tractandi Problema aliquantum variari,

pro natura ipsorum Problematum: ut si sint Theoretica vel Practica, Universalia vel Particularia; de praeterito, praesenti, vel futuro; atque multifariam alias. Sed isti respectus non faciunt varietatem ita notabilem, ut necesse sit de singulorum ratione aliquid seorsim praecipere: ratio jam exhibita suo modo, et mutatis mutandis, conveniet universis; quod cujusque judicio relinquendum censui. Ornati inservient Formulae debitum locis adhibitae: quales sunt Formulae de rei gravitate, de origine erroris, explicandi Subjectum et Praedicatum, accipiendi datum, constituendi quae situm, proponendi opiniones, ponendi conclusiones, afferendi objectiones, rejiciendi eas, respondendi ad formam, retorquendi, paria referendi, negandi, reddendi rationem negationis, distinguendi, &c.

§. 14.
Genesis
Problema-
tica angu-
stior.

Est et alia tractandi Problematis ratio adhuc angustior multo, quae potest duobus modis institui; Uno, Si, 1°, praemittatur brevis praecognitio Terminorum. 2°. Nostra Thesis sine ambitu verborum Categorice ponatur, et uno aut altero principali argumento probetur. 3°. Objectiones aliquot e praecipuis breviter solvantur. Altero, si 1. praemittatur brevis praecognitio Terminorum, ut supra. 2. Argumenta utriusque partis seorsim proponantur. 3. Sequatur decisio Quaestionis per admissionem rationum unius partis, et solutionem rationum alterius. Quinetiam omitti potest utrobique praecognitio Terminorum, ubi sensus Quaestionis aut obvius est, aut non multum obscurus.

Sylvam materiae tractandae non opus est hic, ut in superiore capite, subnectere: abunde satis Problematum quaevis Disciplina suppeditabit, in quibus studiosi se exerceant.

Subtituli Capitis Secundi.

1. De Genesi Problematica.
2. De Notione et Expensione Problematis tractandi.
3. De Praefatione.
4. De Evolutione Tituli.
5. De Acceptione Dati.
6. De Constitutione Quaesiti.
7. De Recensione Opinionum.
8. De Declaratione et Probatione nostrae sententiae.
9. De Objectionibus, et earum solutione in genere.

10. De Solutione ad Conclusionem.
11. De Solutione ad Formam.
12. De Solutione ad Materiam.
13. De Collectione Corollariorum.

CAP. III.

De Tractatione Problematis Sociali, sive de Disputatione.

OMNIS Tractatio Problematis per Argumentorum collationem, etiam Solitaria, Disputatio est; sed ea vox de sola Sociali, quae fit instante et premente adversario, per Synecdochen plerumque intelligitur. Qua exercitatione nescio an sit alia aequa utilis juvenibus, tum ad perscientiam veri, et illam de qua Aristoteles, Lib. i. Poster. cap. ult. animi ἀγχίστοιαν, tum etiam ad vim ἐρμηνευτικήν, et sensa animi apte et expedite proferenda. Disputatio omnis instar pugnae est, estque ad minimum duorum, Opponentis et Respondentis; solennior tamen erit, si tertius etiam accesserit, velut arbiter pugnae, Moderator. Disputaturis et cum* laude et fructu, tres virtutes sunt apprime necessariae: Ingenuitas, Modestia, Candor. Ingenuitas in eo consistit, ut quis animo accedat ad disputandum puro et libero ab omni praejudicio; praejudicium enim tollit judicium; et frustra disputatur cum eis, qui non convincuntur, etiam quum convincuntur. Modestia in eo, ut sit aliquis voce et gestu sedato; non clamores cieat et strepitus; permittat adversario verborum vices. Candor in eo, ut quis pudori et famae adversarii prudenter consulat; labeculas ejus et lapsus praetereat saepius quam notet; de forma et verbis non moveat item, ubi de ipsis rebus constat, nisi forte adversarii juncta ignoracioni impudentia debeat auditoribus ludibrium.

Non sunt omnia Problemata indifferenter in disceptationem vocanda. Vitentur itaque inter disputandum Quaestiones. i. Quae Fidei officiant, aut bonis moribus: ut ‘An Deus sit colendus?’ ‘An Parentes sint amandi?’ De istiusmodi enim Principiis qui dubitare velle videntur, fuste, non ratione sunt refutandi.† ii. Quae sensuum judicio sunt plane manifestae:

* ‘et cum.’ The word ‘et’ was inserted in the Third Edition.

† Compare De Conscientiae Ob-

ligatione, Praelect. ii. §. 5, and the passage from the Topica of Aristotle there quoted, Vol. iv. p. 26.

§. 1.
Disputan-
tium nu-
merus et
virtutes.

§. 2.
Materia
disputanda.

ut, ‘An Ignis sit calidus?’ ‘An detur Motus?’ iii. Quae rationem superant et captum humanae mentis: ut, ‘De loco animae separatae;’ ‘De materia et mole coeli empyrei.’ iv. Quae vanae, ineptae, et nugatoriae sunt: ut, ‘An Nihil et Chimaera sint fratres?’ ‘An Vulpes* saltans in vacuo excitet pulverem?’

§. 3.
Propositio
Materiae
disputan-
dae.

Disputatio similis praelio;† sed in praeliis acies disponi prius solent utrimque, quam manus conserantur; et in Disputationibus ipsum conflictum praecedat oportet Apparatus. Apparatus autem pro more locorum varius est. In transmarinis Academiis, praesertim Germaniae, Materia disputanda fere proponitur Thematice sub ratione Loci Communis, aut Simplicis Thematici; ut, de Syllogismo, de Elementis, de Principe: qua artificiose et per Theses quasdam explicata a Respondente, secundum formam tractandi Thema simplex supra traditam, cap. i. hujus Appendicis, in Opponentis arbitrio est, quamlibet Respondentis Thesin argumentis oppugnare.‡ Ast in celeberrimis Angliae Academiis proponitur Materia discutienda semper Problematice, sub ratione scilicet vel Thesis; ut, ‘Metalla sunt invicem transmutabilia;’ vel Quaestio; ut, ‘An Metalla sunt invicem transmutabilia?’ Qua proposita quandoque ab OppONENTE, quandoque a MODERATORE, postulatur Respondentis ea de re sententia, quam ille mox explicat in sua Suppositione. Nostrum hunc morem jure preferendum censeo: tum quia Disputatio apud nos strictior est, quae illis vaga nimis; tum quia Problema certi Subjecti et Praedicati justo aliquo temporis spatio potest aliquo modo plene discuti, quum vix possit exspectari ut Thema plenius examinetur tantillo tempore per omnia sua Attributa. Utilius fortassis facturi et nos et illi, si et nos quandoque ad illorum morem Disputationes institueremus, et illi frequentius ad nostrum.

§. 4.
Suppositio.

Proposita Quaestione, Respondentis est sententiam suam declarare: cuius declarationem in nostris Scholis Suppositionem dicimus. Vocabulo sane perquam idoneo,—etsi aliqui illud suggollarint immerito tali scommate, ‘Quid opus est Sub?’ Non enim tam ponitur Respondentis sententia ut indubie vera,

* ‘An Vulpes?’ So in all the similis.
Editions which I have seen before the Tenth, which substituted ‘An Musca.’ ‡ In the First and Second Editions, ‘quam Respondentis Thesin argumentis oppugnare velit, eligere.’

† In Editions after the Sixth, ‘est

quia sic non recte caderet sub Disputationem, quam supponitur a Respondente pro vera, donec Opponens evicerit contrarium. Suppositio aut Rigida et Peremptoria est, aut Rationalis et Satisfactoria. Suppositio Rigida sive Peremptoria est, quum Respondens nec terminos Quaestionis aperit, nec rationes afferat defensionis suaे; sed proposita Quaestione, nude et simpliciter id indicat solum, utram partem Contradictionis defendere velit, Affirmativam, vel Negativam: qui mos est Oxoniae in publicis Scholis, in ordinariis Disputationibus Scholarium et Baccalaureorum. Suppositio Rationalis sive Satisfactoria est, in qua Respondens animi sui sententiam, quo plenius intelligatur ab OppONENTE, et Terminorum distinctione, limitationeque Propositionum aperit, et rationum momentis statuminat: qui mos est Oxoniae in privatis Collegiis, et etiam publice in Scholis in Disputationibus solennioribus. Illa praeceptis non indiget: de hac observentur ista:

1º. Suppositio formetur stylo et methodo Scholasticis: hoc est Logicis, non Rhetoricis. Apage hic Rhetorum cincinnoſ et calamistroſ. Veritas enim quaeritur, non Elegantia; nec exspectatur Declamatio, sed Suppositio. Odiosae sunt verborum phalerae et ambitus aurium, ubi instruendae sunt mentes auditorum, non affectus movendi.

2º. Suppositio formetur verbis, quam fieri potest propriis, perspicuis, et ab omni ambiguitate liberis. Alias Respondens auditores confundet magis quam instruet, et Quaestioni tenebras potius offundet quam afferet lucem.

3º. Objectionum Solutio ne fiat in Suppositione. In reliquis, Suppositio formanda est ad rationem Tractationis Problematis solitariae in superiore capite expositam; sed Ἀνασκενή omitenda, servandaque in ipsum congressum Disputationum. Alias et Opponentij injuria fiet, cuius Objectiones praeripientur a Respondente; et Auditoribus, quibus apponetur recocta crambe.

Habita Suppositione, Opponens, praesertim in solennibus Disputationibus, solet aliquando, priusquam disputare occiperit, paucula velut perorando praefari. Oratiunculam illam Oppositionem dicimus. Interdum est Oppositio propemodum necessaria: quoties scilicet Respondens aliquod falsum aut inopinabile tueri videtur. Tunc enim Opponens gravi aliqua oratione ejus pertinaciam castigabit, et solidis rationibus refutabit sententiam, idque magis Logice quam Rhetorice. Ast

§. 5.
Oppositio.

alias si adhibeatur, non id fit aliqua rei necessitate, sed *ἐκ παρέγον*, ut auditorum exspectationi aut loci consuetudini fiat satis.* In qua non curabit Opponens rationes solidas adhibuisse, sed magis rationum umbras, et quae plus habeant facetiarum quam virium, ingenii quam acuminis: Rhetorice magis, quam Logice. Poterit tamen si voluerit argumenta quae mox objecturus est disponere, et futurae Disputationis fundamenta jacere in Oppositione. Sed difficile est hic aliquid praecipere, ubi liberum est OppONENTI qua videbitur via insistere. Caveat tamen duo haec: 1º. ne Respondentis alteriusve eujusquam personam aut famam petulanter habeat. 2º. ne in re seria jocis nimium ineptiat. Siquis, omni omissa hujusmodi Oppositione, nisi ubi solennitas exercitii eam quodammodo flagitare videatur, Disputationi se protinus accingere voluerit, faciet cum laude fortassis, certe cum venia plurimorum.

§. 6.
Officia Op-
ponentis.

In ipso conflictu, quo quisque quod sui est muneris id rite praestet, videndum quae sint Opponentis partes, quae Respondentis, quae etiam Moderatoris. Opponentis est Objicere, Urgere, Replicare. Objicit, quum arguento ejusque Prosyllogismis Thesin Respondentis impugnat. Urget, quum requirit a Respondente ut arguento legitime satisfaciat. Replicat, quum Responsioni allatae non acquiescit, sed porro it contra. In Objiciendo tria haec spectare debet Opponens: 1º. Conclusionem probandam; 2º. Medium probandi; 3º. Formam probationis.

§. 7.
Inferre ne-
gatum.

Officium Opponentis circa Conclusionem est probe perspectam habere tum Respondentis Thesin, tum Propositionem ab eo quandocunque negatam, ut illam evertere, hanc confirmare possit. Primi Syllogismi Conclusio nisi directe contradicat Thesi Respondentis, tota Disputatio erit aliena propter Ignorationem Elenchi, quo non est aliud vitium inter disputandum turpius.† Pariter aliena erit, si in progressu Disputationis inferri unquam contigerit Propositionem aliam ab ea, quam Respondens novissime negaverat. Sciat ergo Opponens Propositionem negatam ei semper incumbere probandam, quam oportet integrum inferre in Conclusionem proximi Syllogismi, sine ulla mutatione, praesertim in sensu: quin et ipsissima etiam verba

* 'fiat satis.' So in the first three Editions. Subsequently, 'satisfiat.' In the First and Second Editions, 'disputandi magis dedecorosum.'

† 'inter disputandum turpius.'

retinenda sunt, quoties commode fieri potest, quo clarius fiat progressus. Quod si alicubi propter ambiguitatem, obscuritatem, prolixitatem, aliamve causam mutatio verborum sit facienda, neutiquam tamen id tentandum est absque consensu Respondentis.

Postquam constiterit de Conclusione probanda, proxima Opponentis cura erit, Argumenta quibus ea probetur adducere. §. 8.
Invenire Medium. Suaderem studioso, donec assidua exercitatione aliquam disputandi facultatem sibi comparaverit, non accedere ad disputationem imparatum a copia argumentorum, etiam in scriptis. Haurire poteris argumenta ex libris eorum, qui de illa materia scholastice scripserunt, et destinato. Si non occurrant argumenta in libris, tecum in mente tacitus percurre Attributa Terminorum Propositionis probandae, Subjecti primo, deinde Praedicati: ex quibus tuopte ingenio argumenta facile extundes, si tibi saltem illa non exciderint, quae de Medii Termini Inventione generaliter praecipiuntur, Lib. iii. Compend. cap. 6. Distinctiones insuper et limitationes, quae solent adhiberi pro declaratione status Quaestionis, Argumenta suppeditabunt; quandoquidem enim vana est omnis Distinctio, et Limitatio in aliqua Quaestione, quae non propterea adhibetur, ut occurratur tacitae alicui Objectioni contra illam Quaestionem; ex ejusmodi distinctionibus et limitationibus Objectiones sic elicies, si applicare velis illam partem earum, quae non congruit cum sensu Respondentis, alicui Termino cui congruet. E. g. Si objiciendum esset contra Porphyrianam Speciei infimae Definitionem, hanc scilicet, Species est quae praedicatur de pluribus differentibus numero *in quid*: in explicatione illius Definitionis, Lib. i. Compend. nostri cap. 3. paragr. 3, invenio duos ejus Terminos limitari: *ly* ‘quae praedicatur’ cum hac limitatione ‘immediate;’ et *ly* ‘differentibus numero’ cum hac limitatione ‘tantum.’ Prior limitatio suggerit mihi dari aliquid, quod non est Species, quod tamen praedicatur de pluribus differentibus numero tantum *in quid*, sed mediate, ut Animal de Socrate et Platone. Posterior dari aliquid, quod non est Species, quod tamen praedicatur, idque immediate de pluribus differentibus numero *in quid*, sed non numero tantum; ut, Animal de Homine et Equo. Hinc colligo duas Objectiones contra dictam Definitionem; priorem, quod Animal praedicatur *in quid* de Socrate et Platone, qui differunt numero; posteriorem, quod

Animal praedicatur *in quid* etiam immediate de Homine et Equo, quos differre certum est numero, quum et Specie differunt. Et tamen Animal non est infima Species: ergo videtur dicta Definitio convenire aliis a definito, et proinde esse vitiosa. Fusius ista fortassis exposui quam par erat; sed quod factum est in tyronum gratiam aequus lector facile condonabit. Argumentorum copiam ubi paraveris, delige ex iis unum aut alterum, sed quae plus videntur habere difficultatum et virium, atque illis fortiter preme Respondentem, praetermissis levioribus: nisi volueris, praemissa Fallacia aut tenui aliquo arguento, peritiam Respondentis, quasi tentando, explorare: ut solent in exercitu levi aliqua velitatione, velut praeludio, hostem prius tentare quam res justo praelio cernatur.

§. 9.
Debite con-
cludere.

Sed frustra Conclusio probanda praenoscitur, et Argumenta conqueriruntur, nisi ex Argumentis Conclusio debite inferatur. In eam rem consulerem tyronibus, donec assuetudine promptiores evaserint, Syllogismos suos in chartula describere iisdem forma et verbis quibus urgere debent, annotatis ad oram singulorum Syllogismorum nominibus Modorum, ad quorum normam efformati sunt. Exempli gratia, si tibi disputandum esset adversus dictam infimae Speciei Definitionem, ex priori duorum illorum argumentorum quae paragr. 8 afferuntur, sic formandus esset progressus Disputationis, et in charta describendus.

Da- Quae Definitio convenit alteri a definito, ea est vitiosa.

ri- Sed dicta Definitio infimae Speciei convenit alteri a definito:

i. ergo est vitiosa.

Major est manifesta ex legibus Definitionis: Minor probatur Syllogismo Hypothetico sic,

a posit. Ant.	ad posit. Cons.	$\left\{ \begin{array}{l} \text{Si Dicta Definitio conveniat Generi, tum con-} \\ \text{venit alteri a definito.} \\ \text{Sed convenit Generi: ergo} \\ \text{Convenit alteri a definito.} \end{array} \right.$
---------------	-----------------	--

Minor probatur Syllogismo de Termino obliquo ita,

Da- Animal est Genus.

ri- Dicta Definitio convenit Animali:

i. ergo convenit Generi.

Minor probatur

Bar- Quod praedicatur de pluribus differentibus numero tantum *in quid*, ei dicta Definitio convenit.

ba- Sed animal praedicatur de pluribus, &c: ergo
ra. Dicta Definitio convenit Animali.

Minor probatur Syllogismo expositorio, et de Termino obliquo sic,

Bar- Socrates et Plato sunt plura differentia numero tantum.

ba- Sed Animal praedicatur de Socrate et Platone *in quid*: ergo

ra. Animal praedicatur de pluribus differentibus numero tantum *in quid*.

Taedet ista puerilia tanto conatu; sed qui in minutioribus hisce aliquandiu semet exercuerit, sentiet brevi cum suo magno fructu quas vires habeat ad promptitudinem exercitatio.

Postquam eo perducta res est argumentando, ut nihil ultra negari posse videatur, Opponentis proximum officium est urgere adversarium ad Responsionem. Si fugiat, ut repetatur argumentum; si haereat, ut vel negetur aliquid, vel respondeatur; si Fallaciam clamet, ut ostendatur quae sit Fallacia, et ubi lateat; si Diverticula quaerat, ut punctim respondeatur alicui Propositioni aut Termino; si minus apposite distinguat, ut distinctionis membra utrique Propositioni applicentur, in qua Terminus ille reperitur quem distinguit; si absurde negat, ut rationem aliquam ostendat negationis; si tergiversari perget impudenter, ut astantium judicio stetur, quem illi victimum pronunciarint.

Si Respondens occurrat arguento responsione non prorsus aliena, Opponens alio se vertat oportet. Repetat primo Responsionem, ut eam pensiculatius dijudicet; tum vero id agat maxime, ut ex ea, si fieri possit, Respondens cogatur in aliquod absurdum, aut inconveniens; id negando scilicet quod prius posuerat, vel concedendo id quod prius negaverat. Si id nequeat efficere, saltem si quid habeat quod replicare possit, replicet; sed non sufficiet utrvis parti distinctionis contravenire replicando, quod scioli faciunt nonnunquam et Sophistae, ut Respondentem longius a Quaestione abducant; sed adversus illam tantum distinctionis partem replicandum est, quae magis

§. 10.
Urgere ad
Responsio-
nem.

§. 11.
Replicare.

conjuncta est cum statu Quaestionis, propriusque ad rem pertinet. Quod si nec habeat quod directe replicet, nec sciat argumentis argumenta sic artificiose attexere, ut replicationes videri possint magis ad responsionem, quam novae Objectiones adversus principalem Thesin, OppONENTI consultius multo fuerit datae responsioni palam acquiescere, et novo argumento uti, quam ubi abunde satisfactum est, usque contendere, et ne victus videatur pertinaciter instare, quasi instar nihili essent quae Respondens dixisset omnia.

§. 12.
Officia Re-
spondentis.
Repetere.

Respondentis officia sunt etiam tria: Repetere, Negare, Solvere. Repetat primo quae objiciuntur ab Opponente iisdem terminis, si sint commodi et rite dispositi: quod si Opponens per imperitiam aut oscitantiam aut disputationis aestum, vel terminos adhibuerit minus commodos, vel forma minus accurata usus fuerit, poterit Respondens pro suo candore inter repetendum terminos et formam aptiores reponere. Nec inutiliter consumitur tempus ejusmodi Repetitione, quae necessaria est in omnium gratiam; Opponentis imprimis, ut agnoscat ille suam Objectionem, et si quid in forma peccari aut materia animadverterit, id corrigat priusquam fiat progressus ulterior; tum ipsius etiam Respondentis, ut vim rationis altius figat animo, et moram aliquam luceretur responsioni;* Auditorum denique, ut ipsis exploratori sit totius Disputationis progressus, et quid ab utroque disputantium sit praestitum judicium certius.

§. 13.
Negare.

Postquam repetierit Objectionem Respondens, aut negare aliquid debet, aut rationem solvere. Negari autem possunt tria: Conclusio, Forma, Propositio: Conclusio, si sit aliena; Forma, si sit vitiosa; Propositio, si sit Falsa. Si Opponens aut in primo Syllogismo non contradicat Thesi Respondentis, aut in reliquis non inferat Propositionem ab eo proxime negatam, Respondens debet negare Conclusionem, rejiciendo ipsam ut *ἀπροσδιόνυσον*, vel, quod idem est, admittendo totum argumentum, ut dictum est in superiore Cap. paragr. 8. Si Opponens peccat in aliquam legem Syllogisticam, Respondens negabit Syllogismum, vel Formam argumentationis. Si Opponens proponat aliquod falsum in altera Praemissarum, Respondens illam Propositionem simpliciter negabit, sive ea Major sit, sive

* ‘responsioni.’ This word is omitted in some of the latest Editions.

Minor. Sed Major, quia fere nititur axiomate aliquo generali, rarius neganda venit; Minor frequentius. Quod si utraque Praemissarum sit falsa, poterit quidem Respondens obiter admonere Opponentem geminae falsitatis, et utramque negare; sed non optime fecerit, si ei det optionem probandi utram voluerit; ipse potius unam e duabus ei imponat probandam, quae scilicet est Quaestioni conjunctior; Majorem quandoque, multo saepius tamen Minorem. Solent enim saepenumero Sophistae data opera ejusmodi argumenta proponere, in quibus utraque Praemissa sit falsa, ut, concessa ipsis probandi optione, incautum Respondentem a proposita Quaestione ad insolitas speculationes, in quibus proclive est incommodo loqui, abripiant.

Sed Respondenti, ubi aliquod negandum deprehenderit, satis erit simpliciter negasse. Nec enim ab eo exigenda est ordinarie ratio negationis, cuius est defendere, non probare, et rationes alterius solvere, non suas assignare. Sed quia, ut dici solet, stultus quivis unus plus negare potest, quam decem sapientes probare; nec finis ullus esset Disputationis, si liceret Respondenti pro libitu suo negare sine fine, propterea Respondens in aliquibus casibus tenetur assignare rationem suae negationis, si ab OppONENTE requiratur: ut

1º. Quando negat Propositionem aliquam quae videtur manifesta. Non enim sunt temere rejicienda quae sunt admodum verisimilia, sine gravi aliqua ratione; et Auditores mirari solent quoties audiunt talia negari, quorum mentibus iste scrupulus est eximendus assignata ratione negandi.

2º. Quando pertinaciter negat formam argumentationis. Oportet enim ut particolare illud vitium detegat, quo putat laborare Rationem ab OppONENTE adductam.

3º. Quando negat multiplicatam Hypotheticam. Solent nonnulli, quo molestiam creent OppONENTI, Hypotheticas semper negare, ineptissimo sane compendio, non quod negandae sint (parum id illis curae est), sed quod Hypotheticae sint; et, si denuo ostendatur eas ex Antecedente manifestissimo necessario sequi, negare tamen iterum Consequentiam, et sic deinceps infinitum. Si quando res forte postulet negari sic multiplicatam Hypotheticam, Respondens suspicione pessimae consuetudinis se liberabit non aliter, quam si, assignata ratione, palam faciat omnibus id ab eo factum judicio, non protervia.

§. 14.
Quandoque
rationem
reddere ne-
gationis.

4º. Quando negat Inductionem sine instantia. Quae est Aristoteli aperta tergiversatio, Lib. viii. Topic. cap. 8. Sed potest fieri, ut ubi multae instantiae adduci possent in contrarium, nulla tamen subito occurrat Respondenti. In eo casu, ne videatur tergiversari non instando, debet rationem aliquam reddere negatae Inductionis; ex qua probabile reddatur, non omnia particularia esse ejusdem rationis cum illis, quae aperte afferuntur ab OppONENTE in illa Inductione.

Sunt fortassis et alii casus in quibus Respondens tenetur assignare rationem Negationis; sed fecerit cum aliqua candoris laude, si assignare velit rogatus ab OppONENTE, etiam ubi non ex necessitate tenetur id præstare.

§. 15.
Solvere Argumentum. De Solutione non ante cogitabit Respondens quam Opponens vim Objectionis suae in medium adduxerit. Praematuraæ Solutiones, praeterquam quod Respondentem arguant formidinis, ingratae sunt semper auditoribus: proinde Respondens negabit quamdiu viderit aliquid quod negari commode possit; ubi vero nihil amplius negari potest, tum demum Solutionem adhibeat, qualem ipsa Objectio requiret.

Si ex Loco Topico disputetur, limitanda est Maxima illius Loci, qua niti videtur Objectio. Si Terminus aliquis sit ambiguus, ut fere fit, is est distinguendus, et distinctio applicanda eo modo, quo dictum est superioris capitinis paragr. 10. Si Auctoritate pugnetur, locus Auctoris inspiciendus, scopus expendendus ex praecedentibus et sequentibus, genuinus verborum sensus inde afferendus, et cum nostra defensione conciliandus. Potest autem * rejici Auctoritas nonnunquam, praesertim si ostendi possit, quid Auctorem in id erroris impulerit; caeterum non est hoc temere faciendum, sed parcus, et modeste, et opposita vel gravi aliqua ratione in contrarium, vel testimonio alterius cuiusquam non contemnendi Auctoris. Directae Solutioni potest ex abundantia addi et Indirecta, retorquendo scilicet Objectionem in ipsum adversarium; sed indirecta sine directa non sufficiet, ut quae sit responsio ad hominem, non ad rem.

§. 16.
Leges Distinctionis. Sed quoniam solvuntur pleraque argumenta non aliter quam Distinctionibus, intererit vel plurimum cuiusvis disputaturi, praecipuas aliquot Distinctionis leges cognovisse.

1. Distinctio non sit nimium generalis. Multi quum nodum

* ‘Potest autem.’ In the First and Second Editions, ‘Potest tamen.’

solvere non possunt Objectionis, ut tamen videantur respondisse distinguunt de aliquo ejus Termino, dicuntque aliquid in genere, quod quidem verum est, et fortassis illi Termino congruum, sed non appositorum ipsi, ut loquuntur, puncto praesentis argumenti. Tunc autem cognoscitur quod Distinctio sit nimis generalis, quum applicari possit ipsi Termino separatim, sed non accommodari utrige propositioni Objectionis, ubi ille Terminus reperitur.

2. Distinctionis membra sint opposita. Vitiosa proinde illa est, cuius una pars cum reliqua coincidit,* aut in ipsa concluditur.

3. Distinctio Terminis propriis et Scholasticis concipiatur. Videre est plurimos etiam ex Eruditorum numero, qui vim Objectionis penitus perspectam habent, sciuntque omnino quid sit respondendum, quantum ad substantiam rerum ipsarum, infeliciter tamen versari in hac disputandi palaestra, dum ob insuetudinem Scholasticorum Terminorum, coguntur animi sui sensa longis verborum ambagibus vix aegre indicare, quae aliquis mediocreiter in istis studiis versatus duabus facillime dictionibus et multo plenius expedivisset. Rideant elegantuli licet Barbariem Scholasticorum; unus tamen Scotus aut Thomas objectas difficultates brevi ejusmodi Barbarismo facilius dissolvet, atque etiam felicius, quam centum Cicerones, aut Lipsii, aliquot pagellis.

Ad Distinctiones comparandas, quae nobis inter respondendum quoties opus est inserviunt, utilissimum fuerit Terminorum celebriorum Distinctiones in libro aliquo huic destinato scorsim atque ordine alphabeticō adnotasse, cum brevi earum explicazione. Tentavit aliquid in hoc genere utiliter non ita pridem Henr. Ludov. Castanaeus,† in sua Synopsi Distinctionum: cuius exemplo potest quivis studiosus Alphabetum de suo texere, quod sit in propriis usus multo commodius. Sunt tamen quaedam Distinctiones communiores, quae sunt longe amplissimi usus, quarum sylvulam in juvenum gratiam hoc loco subjicere visum est.

§. 17.
Sylva Dis-
tinctionum
Communio-
rum.

I. Large et Stricte. Usum habet potissimum in vocum

* The full Title of the Work of Bat. 1614. It was reprinted at Oxford in 1657.
Castaignez is, Celebriorum Distinctionum Philosophicarum; tum † ‘coincidit.’ In the First and Theologicarum Synopsis. Lugd. Second Editions, ‘concidit.’

et phrasium ambiguitate aperienda, quas saepe contingit nunc laxius significare, nunc angustius.

II. Proprie et Improproprie. Usum habet, ubi voces et Phrases quum Propriam significationem habent, tum Tropicam.

III. Mediate et Immediate. Usum habet in Actionibus, Passionibus, et quae sunt instar Actionum et Passionum: universim in iis inter quae aliena reperitur subordinatio sive Causalitatis, sive Praedicationis. Huic cognata est *ly* Proxime et Remote.

IV. Absolute et Respective. Usum habet in Terminis Relativis, aut iis quibus respectus aliquis attribuitur aut adhaeret.

V. Primario et Secundario. Usum habet in iis inter quae est ordo, aut in iis quae alteri qualitercunque convenient.

VI. Materialiter et Formaliter. Usum habet in Substantiis ex Materia et Forma constantibus, et in Accidentibus Concretis, praesertim Respectivis de Praedicamento Relationis, et Artificialibus de quarta specie Qualitatis, aliisque nonnullis, et in Objectis rerum, et in Terminis primae et secundae Intentionis. Est haec Distinctio etiam alias latissimi usus propter variam Analogationem *ly* Materiae et Formae.

VII. Simpliciter et Secundum quid. Usum habet in iis, quae alteri qualitercunque attribuuntur, cum, vel sine limitatione.

VIII. Per se et per Accidens. Usum habet in Causis et Effectibus, in Actionibus et Passionibus, in eis denique quae alteri qualitercunque convenire dicuntur, aut attribui.

IX. Actu et Potentia. Usum habet in rebus materialibus et corruptibilibus, inque eis quibus potentia aliqua competere potest, sive Activa, sive Passiva.

X. Perfecte et Imperfecte. Usum habet in eis quae variantur secundum gradus et incrementa.

Alias nonnullas juvenes annotare possunt, atque istarum fortassis alios usus; sed istas probe qui calluerit, et quoties opus est expedite noverit adhibere, poterit earum ope plurimis illarum Objectionum quibus veritas ordinarie impugnatur rectare obviam.

Officia Moderatoris, sive Praesidis, sunt ista :

I. Formam tueri legitimae Disputationis inter Opponentem et Respondentem : hoc est, rixas et tumultus compescere, curare ut utraque pars semet intra debitas metas contineat, ut

in Quaestione permaneatur, ne Termini mutentur, ne diversicula quaerantur; aliaque id generis.

II. Adjuvare Disputantes ubi opus fuerit; Opponentem quandoque, formando ejus Argumentum, aut confirmando, si ille aut frigide urgeat, aut indebito concludat. Sed Respondentem praecipue adjuvare debet, corrigendo eum, si aliter neget quam oporteat; explicando ejus Responcionem, si sit obscurior; addendo ei aliquid, si non sit satis plena; illustrando eam, ut firma et apposita appareat auditoribus; aliam afferendo, si data a Respondente non satisfaciat Objectioni.

III. Disputationem concludere; idque si tempus patiatur, cum brevi aliqua decisione Quaestionis, et repetitione summaria totius Disputationis.

Subtituli Capitis Tertii.

1. De Disputatione Sociali in genere, ejusque fructu.
2. De Modestia, Ingenuitate, et Candore Disputantium.
3. De Conditione Materiae disputandae.
4. De Propositione Materiae disputandae.
5. De Suppositione.
6. De Oppositione.
7. De Officiis Opponentis et Respondentis in genere.
8. De Officio Opponentis circa Conclusionem.
9. De inveniendis Objectionibus.
10. De Objectionibus rite formandis.
11. De Officio Opponentis in Urgendo.
12. De Replicatione.*
13. De Officio Respondentis in Repetendo.
14. De Negatione.
15. De reddenda ratione Negationis.
16. De Responsione ad Auctoritatem.
17. De Solutione Argumentorum.
18. De Legibus Distinctionis.
19. De Distinctionibus quibusdam generalibus, et earum usu.
20. De Officio Moderatoris.

* In the Fifth and subsequent Editions, 'De Reduplicatione.'

CAP. IV.

De Genesi Methodica: sive de Constitutione integrae Disciplinae.

§. 1.
Methodi
Disciplina-
rum.

GENESIS Methodica est Tractatio integrae alicujus Disciplinae, aut notabilis partis ejus, secundum leges Methodicae Dispositionis. Multis praceptionibus hac in re opus non est: quae sunt necessaria, eorum pleraque ex retro dictis, Lib. iii. Compend. cap. 30, 31, satis perspicue haberi possunt. Illud praecipue repetendum, quod habetur cap. 30. §. 4, Disciplinas Contemplativas, quae Scientiae dicuntur, quales sunt Physica, Geometria et earum partes, quales sunt Tractatus de Caelo, de Anima, Cyclometria, Trigonometria, disponi debere Methodo Compositiva. Operatrices vero, quae sunt Artes, ut Logica, Medicina; et Prudentiae, ut Politica, Theologia; eorumque partes, quales sunt tractatus de Praedicamentis, de Symptomatibus Morborum, de Principe, de Ecclesia, Methodo Resolutiva. Quae tractanda sunt in quavis Disciplina aut Praecognita ejus sunt aut Systematis partes; et in Instrumentibus etiam usus; tractantur autem ista per Praecepta, Commentarios, et Quaestiones.

§. 2.
Praecogni-
ta.

Praecognita in omni Disciplina praemittenda sunt. De ipsius Disciplinae Nomine; de ejus Genere, et propria sede ἐν τῷ κύκλῳ τῆς παιδείας, in universo illo Orbe et Circulo Disciplinarum; de ejus Differentia a cognatis Disciplinis, sumpta ut plurimum a subjecto ejus proprio tum Materiali, tum etiam Formali; De notione illius Subjecti saltem quoad *quid nominis*. Atque ista sunt communia omnium Disciplinarum, sive Theoreticarum, sive Practicarum; ast in Practicis, praeter Subjecti notionem, haberi debet etiam tum Objecti aliqua, tum maxime proprii Finis, multo uberior Praecognitio.

§. 3.
Systema.

Habitis Praecognitis, Partitio Disciplinae mox instituenda est, et per Subpartitiones continuanda: quae ut commode fiat, aut secus, perinde recta fere erit aut vitiosa tota Methodus in reliqua Tractatione. In plerisque Disciplinis prima Partitio debet esse in Partem Generalem et Specialem. Pars Generalis agit de Principiis et Affectionibus Subjecti aut quasi-Subjecti, in genere; ut in Physica, de Corporis Naturalis

Principiis communibus, Materia, Forma, Privatione ; et Communibus Affectionibus, Motu, Quantitate, Loco, Tempore : in Ethica de Virtutum Principiis Communibus, Consultatione, Electione, Fuga, Assuefactione, et Communibus Affectionibus, Mediocritate, Discretione, Stabilitate, &c. Pars Specialis agit de Speciebus Subjecti vel quasi-Subjecti, et Specierum Speciebus; atque deinceps, * dum ad infimas perveniat, considerando in Singulis Principia et Affectiones secundum rationes suas communes aut speciales, ut ipsarum Specierum conditio postulabit. Quae omnia ut legitime fiant, teneamus oportet animo Leges Methodi Generales et Speciales : Leges dico Brevitatis, Harmoniae, Unitatis, Generalitatis, et Connexionis. Methodicam hanc Tractationem partium alicujus Disciplinæ per legitimas partitiones et subpartitiones, Neoterici Systema appellant, non novo vocabulo. Cui subtexendum docent, sed in Disciplinis Instrumentalibus tantum, Gymnasium : ea appellatione complexi sunt ejusmodi Tractatum in quo ostendatur Usus et Applicatio illorum Instrumentorum, quorum Natura et Explicatio in ipso Systemate tradita est. Exempla Methodicæ Dispositionis et in Scientiis, ut Physica ; et in Prudentiis, ut Ethica ; † et in Artibus Instrumentalibus, ut Logica, facile esset hic subjecisse, per Tabulas Methodicas, ὡς ἐν τύπῳ ; sed quod est a tam multis ante praestitum, nolo molem addat huic libello.

Porro tractanda sunt tum Praecognita, tum Systematis Partes et Usus, per Praecepta, Commentarios, et Quaestiones ; quorum Praecepta sunt simpliciter necessaria, Commentarii vero, et Quaestiones, non nisi ad bene esse tantum. Praeceptorum nomine continentur Definitiones, Divisiones, et Axiomata. Definitiones naturam rei tractandæ declarant. Divisiones rem tractandam, si sit generalis, in Species, si integra, in Partes tribuunt. Axiomata vero proprietates rei tractandæ aperiunt. Axiomata, si eo tantum fine tradantur ut cognoscantur, sicut in Disciplinis Contemplatricibus, Theorematâ potius dicuntur ; sed ubi praecipiuntur, ut sint nobis rerum agendarum aut faciendarum norma, sicut in Disciplinis Operatricibus, rectius Canones seu Regulae appellantur. Praecepta sint 1º. Vera, ne pariant errorem in judicio, vel praxi. 2º. Necessaria, et

§. 4.
Praecepta.

* In some of the later Editions, † 'et in Prudentiis, ut Ethica ;'
'atque sic deinceps.' omitted in and after the Sixth Edition.

quam fieri potest, Pauca; minutiora enim, et quae utilitatis vel nullius sunt vel modicae, aut resecanda erunt, aut certe Commentariis potius inserenda. 3º. Methodice disposita; alias turbata reddentur omnia, et confusa. 4º. Brevia; si quid enim fusius explicandum sit, Commentariis reservetur, aut Quaestionibus.

§. 5.
Commentarii.

Commentarios dicimus, quaecunque Praeceptis subjiciuntur, ut illis lucem aut auctoritatem praestent. Suntque inter alia praecipue ista:

I. Declaratio et Defensio Methodi nostrae. Quae ut utilis est alias, ita est omnino necessaria, ubi nova Methodo insistimus, diversaque ab aliis qui ante nos tractarunt res easdem.

II. Explicatio Praeceptorum. Si propter Termini alicujus ambiguitatem aut obscuritatem, vel ipsius Praecepti brevitatem, fusiori explicatione indigeant, quod saepissime contingit.

III. Allegatio Testimoniorum. Firmabit enim valde assensum nostrum, si Praecepta quae adducuntur viderimus clarissimorum virorum vel niti auctoritate, vel suffragiis et calculis comprobari. Juvabit hic etiam et illa notare, sicubi fortassis occurrunt nobis inter legendum, eadem Praecepta sub aliis Terminis: praesertim si dextre, noveque, et subtiliter concipientur. Exempli gratia, Theorema hoc est nobile Physicum: ‘Natura semper agit ad ultimum sui posse.’ Hoc alii varie sic expressere, ‘Natura est indocta.’ ‘Natura nunquam agit praevaricatorem.’ ‘Natura non est dissimulatrix virium suarum.’ ‘Natura sic agit propter finem, ut non deliberet de mediis,’ &c. Ista et similia, adjecto Auctoris nomine, refer in Commentarios illius Praecepti.

IV. Illustratio per Exempla. In Praeceptis Paucitatem laudes, et Brevitatem; ast in Exemplis difficile est esse nimium. Haec enim et usum Praeceptorum ostendunt, et memoriam firmant. Suaderem singulis Praeceptis tria quatuorve ad minimum Exempla subdi; eaque ex illustrioribus, quae aut multiplex lectio aliorum, aut propria seriaque meditatio supeditare poterit. Id si nos in istoc opusculo non praestimus, sciat velim bonus Lector non hoc incuria factum, aut penuria Exemplorum, sed consulto, tum quod Compendium meditamur, tum potissimum ut parcitas nostra excitaret industriam studio-

sorum ad conquirendam undique uberiorem Exemplorum segetem, quae locis idoneis disponant in libris suis sub titulis Quaestionum, quas propterea singulis capitibus subjiciendas curavimus.

V. Exceptiones a Regulis. Quae necessariae sunt potissimum in Disciplinis Operatricibus, in quibus Regulæ et Propositiones rarius sunt κατὰ παντός, frequentius ὡς ἐπὶ τῷ πολύ, Communiter verae, non Universaliter. Quum Exceptiones dico, intelligo etiam et quascunque Propositionum necessarias Limitationes; quamvis Exceptiones et Limitationes ipsis Praeceptis fortassis conjungi poterint, ut eorum pars, non in Commentarios rejici, secundum illud nescio cuius, ‘Excepta addita Praeceptis faciunt Regulam universalem.’

VI. Solutio Dubiorum. Leviorum scilicet, et de quibus non est gravis aliqua inter eruditos controversia. Majora enim illa digna sunt de quibus peculiares instituantur Quaestiones. Si quis tamen etiam omnia ista, quae Commentariorum esse diximus, velit ad Quaestiones referri, aut quae Quaestionum sunt ad Commentarios, non pugnabo multus: concinnius tamen fecerit, qui illa distinxerit.

Materia nobilior controversa Quaestionibus pertractanda servabitur. Ratio autem tractandi Quaestiones declarata supra est cap. 2. ubi de Tractatione Problematis solitaria satis multa. Ratio vero colligendi Quaestiones opportunius in altera Appendice ostendetur, cap. 3. quo Lectorem mitto. Atque hactenus de eo usu Logicae qui in Genesi consistit.

Subtituli Capitis Quarti.

1. De Genesi Methodica in genere.
2. De Praecognitis Disciplinarum.
3. De Systemate Disciplinarum. *
4. De Systemate Disciplinae Contemplatricis.
5. De Systemate Disciplinae Operatricis.
6. De Gymnasio.
7. De Praeceptis Disciplinarum.
8. De Commentariis Praeceptorum.
9. De Quaestionibus.

§. 6.

Quaestio-

nes.

* This Third Question did not appear in the First or Second Edition.

CAP. V.

De Analysis Logicae.

§. 1.
Resolutio-
nis Defini-
tio et Usus.

ANALYSIS est Operatio Logica (Grammatica et Rhetorica alius sunt rationis) qua artificiose tractata secundum praecepta Logica pari artificio recognoscuntur et resolvuntur. Pendet Analysis atque intelligitur ex Genesi. Nam ut eadem itur Thebis Athenas et Athenis Thebas, ita ejusdem artificii est res componendo tractare, et resolvendo recognoscere. Quod resolvendum est supponitur esse Compositum; itaque erit Analysis perpetuo alicujus Textus, qui quasi retexendus est. Ejus usus est in omni vita quum frequentissimus tum etiam maximus: quoties quidquam vel legimus, vel audimus, quod est aliquo artificio compositum, e re nostra fuerit, illud vel expresse in chartis, vel saltem tacite in mente resolvere: mirum dictu est quantum inde et Judicium firmetur, et juvetur Memoria.

§. 2.
Praecogni-
ta de Tex-
tu.

Plerumque ante ipsam Resolutionem Textus propositi, quae-dam veniunt praemittenda, quibus ratio et fructus futurae operationis ostendatur. Eorum explicationem partem Resolutionis externam aliqui dixerunt: rectius fortassis Praecognita voces: quae non tam pars est Resolutionis, quam praeparatio ad ipsam. Praecognita illa versantur circa Textum resolvendum, suntque praecipue tria: Argumentum, Causae, Adjuncta.

I. Argumentum, sive Materia Textus, ante omnia eruenda est: cuius considerandum primo est Genus: sitne Thema Simplex, vel Propositio, vel Syllogismus, vel integrae Disciplinae Systema, aut Systematis Methodica pars. Secundo, Conditio: si Thema simplex, utrum sit Substantiale, an Accidentale; Singulare, vel Universale, &c. Si Propositio, utrum sit Categorica vel Hypothetica; Pura, vel Modalis; Universalis, vel Particularis; una, vel plures, &c. Si Syllogismus, utrum sit Medii necessarii, vel probabilis, et ex quo Loco ducatur, &c. Si Systema, aut Systematis pars, utrum sit Contemplatrix, vel Operatrix, &c. Tertio, Sedes $\in \tau \varphi \kappa \nu \kappa \lambda \omega$: ad quamnam scilicet Disciplinam pertineat.

II. Causae Textus praecognoscendae sunt potissimum duae. 1º. Efficiens principalis, qui est Auctor ejus. 2º. Impulsiva,

quae est Occasio scribendi. Utrumque enim explicari debet, sed paucis; et quis fuerit Auctor illius Textus, quem resolendum suscepimus, et quid Auctorem impulerit ad delectum istius Argumenti.

III. Adjuncta, sive Effecta Textus. Ubi ostendetur Tractationis resolvendae aut necessitas, si qua fuerit, aut utilitas, aut dignitas, aut jucunditas, ne videamur in re tenui et parum necessaria, quaeque nec fructum habitura est nec voluptatem, inanem operam sumere.

Analysis ipsa aut Simplex est, aut Methodica. Simplex Analysis est, qua Propositio aliqua, aut Syllogismus in suas partes resolvitur. Ratio Analysis Simplicis satis aperta est, praesertim si Propositio aut Syllogismus resolvendus plene et aperte disponatur; ubi vero Dispositio non est aperta et manifesta, quod fit vel propter Defectum aliquem, vel propter Redundantiam, vel propter Crypsin debiti ordinis in partibus, Resolvens debet istis occurrere supplendo quod necessario subintelligitur, amputando quidquid partibus essentialibus amplificationis aut illustrationis ergo superadditur, atque inversa seu transposita in ordinem debitum redigendo. Quorum nulla difficultatem parient studioso, in Propositionum et Syllogismorum doctrina vel leviter versato.

Analysis Methodica late est, qua longior aliqua Tractatio resolvitur; estque triplex, Thematica, Problematica, et Methodica stricte. Analysis Thematica est, qua recognoscitur Logicum artificium in Textu Thematico adhibitum. Analysis Thematica sic instituenda est.

I. Thema Principale investigetur et constituatur. Ipsum enim, sicut est scopus universae Tractationis, sic fundamentum etiam est totius Resolutionis. Hoc tamen si factum fuerit prius in Praecognitis, non est hic agendum denuo. Si sint in Textu proposito plura Themata, ut in capite aliquo Sacrae Bibliae, partitio Textus imprimis est facienda, juxta numerum Thematum Principalium in eo contentorum.

II. Termini omnes, per quos Thema illud in Textu explicatur, eruantur. Tractaturus Thema aliquod Logice ex instituto, adhibere curabit omnes Terminos per quos ipsum explicari potest, salva conditione sua; ast Resoluturus astringetur ad illos Terminos praecise, quos Auctor in Textu exhibuit, omissis quos ille omiserit. Certe Auctores in Scriptis exotericis

§. 3.
Analysis Simplex.

§. 4.
Analysis Thematica.

et popularibus rarissime explicant Thēma simplex per omnia Instrumenta Logica.

III. Terminis explicantibus Thēma Logicae Intentiones imponantur. Solent Auctores res ipsas ponere, puta Thematis Genus, Efficientem,* Objectum, Effecta, &c. nec tamen dicere quod haec sint talia; sed Resolventis erit hoc praestare, revocando Terminos Auctoris ad secundas notiones, quae iis competunt respectu subjecti Thematis. Quin istoc quā praestabit dextre, nisi cognitas habuerit notas, phrases, et formulas, quae peculiares sunt Terminis certarum Intentionum; v. g. Causae Finalis, Objecti, Instrumenti, et similiū? Ejusmodi ergo formularum farraginem sub titulis Capitum et Quaestionum, ad quas rite pertinebunt, in libris suis Logicis adnotabunt juvenes, vel ex propria observatione, vel aliunde descripta. Utilis est hoc saltem nomine liber decimus Systematis Logici Joh. Henr. Alstedii:† quo in libro vide usum declarationis doctrinae de Causa Finali, cap. 5. Eum virum hac una in re si velis imitari, facile illud exorabis, ne in reliquis imitere.

IV. Amplificantia accurate secernantur ab Explicantibus. Explicatio enim sola Logica est: quae Explicationi accedunt ornatus gratia, aut amplificationis, heterogenea sunt, et ad Rhetoricam pertinent. Apud auctores fere conjuncta sunt ista; sed qui Logice Textum resolvit, ejusmodi heterogenea aut resecat penitus, aut certe diligenter separabit ab iis quae proprie Logica sunt.

§. 5.
Analysis
Problema-
tica. Analysis Problematica est, qua recognoscitur Logicum artificium in Textu Problematico adhibitum. Textum autem Problematicum dico, non in quo merae Propositiones ponuntur tantum, aut explicantur sine ullis Probationibus, (resolutio enim ejusmodi Textus pertinet ad Analysis simplicem de qua paulo ante diximus paragr. 3.) sed eum, in quo Problema aliquod seu Quaestio tractatur per argumenta et probationes: unde et nonnullis Textus Syllogisticus dicitur. Analysis Problematica sic instituatur.

* 'Efficientem,' omitted in the Sixth Edition. In subsequent Editions, 'Causam Efficientem.'

† Alstedius, born 1588, died 1638; attended the proceedings of the Synod of Dort; so laborious that the anagram *Sedulitas* was made of his

Name. In his *Encyclopædia Biblica* he traced the principles of all Arts and Sciences in Holy Scripture; and in a work on the Millennium he propounded views which were said to be adopted by only his daughter and son-in-law.

I. Problema principale ex Textu eruatur. Si plura Problemata in uno Textu aequae principaliter tractentur, fiat partitio, et de singulis ordine dicatur.

II. Explicationes Terminorum afferantur. Idque ex Textu, si Auctor eas expresse adhibuerit: si non, saltem Resolvens ipse addat quae sunt necessariae.

III. Conclusio vel Conclusiones, quibus Auctor sententiam suam complexus est, proponantur. Cum suis quaeque limitationibus necessariis.

IV. Argumenta, quibus probantur Conclusiones, per certas classes distribuantur. Rejectis omnino, vel saltem sejunctis, amplificationibus, et ornatu. Classes vero argumentorum sic distinguendae sunt, ut argumenta ejusdem, vel cognati medii in eadem classe collocentur: Testimonia ab Argumentis Artificialibus; Nominalia a Realibus; Medii Necessarii a Medii Probabilis; Externi ab Internis &c separantur classibus.

V. Loci indicentur Argumentorum, et Syllogismi inde formentur: v. g. dicatur quod tale Argumentum sit ductum a Genere, a Causa Finali, ab Effecto, a Minore, vel alio loco. Formatio autem Argumentorum in Syllogismos fiet per additionem Propositionis, non expressae in Textu, sed latentis in Terminis, et per debitam ordinationem Terminorum et Propositionum, quae in Textu cryptice disponuntur.

VI. Objectionum Solutiones ostendantur. Sive Objectiones expresse in Textu ponantur, sive tacite, et κατὰ πρόληψιν ex Solutionibus subintelligi cognoscantur: quibus formatis responsio in Textu data Logice adhibeatur alicui Termino aut Propositioni; vel ex Textu ostendatur peculiare cujusque Syllogismi in Objectione vitium, in Forma, aut Materia.

VII. Corollaria proponantur. Si qua Auctor in Textu alicubi ex Thesi aut Thesibus collegerit, indicata simul ratione deducendi ea ex illis.

Analysis Mixta est artificiosa Resolutio Textus mixti. §. 6.
Textum autem Mixtum intelligo, in quo conjunctim tractantur Analysis
et Themata simplicia et Problemata, quae tamen non sunt confundenda; quod constat fecisse plurimos illorum, qui in aliorum Mixta.
Tractatus et opera Tabulas Analyticas in lucem dederunt.*
Quoties Textus istiusmodi venit resolvendus, partitio oportet

* ‘dederunt.’ In and after the Third Edition, ‘dederint.’

fiat, qua separantur Simplicia Themata a Problematisbus: utriusque vero partis Resolutio seorsim instituatur, secundum rationem jam ante proxime exhibitam.

**§. 7.
Analysis
Methodica.**

Analysis Methodica stricte, quae et Systematica dici potest, est qua recognoscitur Logicum artificium in Tractatione integrae alicujus Disciplinae, aut ejus integræ partis adhibitum. Ea sic instituenda est :

I. Praecognita Disciplinae indicentur. Sitne Contemplatrix Disciplina an Operatrix, aut hujus illiusve pars.

II. Partitio Textus fiat methodice. In Contemplaticibus, quoad Subjectum in genere, et Species ejus; Principia communia, et specialia; Affectiones etiam generales, et speciales. In Operaticibus, quoad Finem et ejus Subjectum; Media ad Finem conduceantia, eorumque Principia et Adjuncta necessaria in Genere et in Specie. Si Textus in libros et capita distinguantur, sic instituetur Partitio, idque in Tabulis Analyticis ut libris et capitibus sit accommodata.

III. Praecepta a Commentariis et Quaestionibus accurate distinguantur. Quod Amplificationes sunt Explicationibus et Probationibus, id sunt Commentarii Praeceptis: proinde, ut illae in Analysi Thematica et Problematica, sic isti in Methodica, aut amputentur prorsus, aut caute separantur ab ipsis Praeceptis.

IV. Connectiones partium notentur. In iis enim potissimum vis Methodi posita est; nec aliter constabit, quomodo partes Tractationis inter se cohaereant.

**§. 8.
Materia
practicandi.**

Exempla singularum Specierum Resolutionis nimis longum esset hic subjecere. Eorum loco Sylvulam Textuum exhibeo, quibus resolvendis exercere se poterint, qui volent. Sunto ergo Exempla.

I. Textus Thematici.

i. Acroamatici. Libri quarti Ethicorum Aristotelis tria prima capita, ubi Thema simplex tractatur, Liberalitas.

ii. Exoterici. Dialogus Ciceronis de Amicitia, ubi tractatur Thema simplex, Amicitia.

II. Textus Problematici.

i. Acroamatici. 1º. Caput octavum libri primi Physicorum,

ubi tractatur Problema, ‘An Natura agat propter finem.’ 2º. Liber Zabarellae de quarta Figura, in quo agitatur Quaestio, ‘An detur quarta Syllogismorum Figura.’

ii. Exoterici. 1º. Dialogus Ciceronis de Senectute, ubi disputatur, ‘An Senectus sit misera.’ 2º. Liber Senecae de Constantia Sapientis, ubi disputatur, ‘An in Sapientem cadat injuria.’ Textus brevioris exempla possunt esse singula Paradoxa Ciceronis.

III. Textus Mixti.

iº. Acroamatici. Tractatus Aristotelis de loco lib. 4. Physiscorum, in quo et Loci natura Thematicce explicatur, et Quaestiones nonnullae de eodem discutiuntur Problematicce.

iiº. Exoterici. Senecae liber primus de Ira, in quo Ira Thematicce explicatur per Subjectum, Causam Efficientem, Objectum, Effecta; aliquot etiam Quaestionum circa illam materiam agitatione interserta. Concionum sacrarum, quae in Templis habentur, pleraque sunt mixti Tractatus ex Thematicis et Problematis. Explications enim singularum vocum, aut partium in Textu aliquo Biblico Tractationes Thematicae; Propositiones vero Doctrinales, quas ex partibus erunt et rationibus firmant, cum Corollariorum, quos Usus vocant, deductione, Tractationes Problematicae. Utinam in istiusmodi Concionum Logica Analysis juvenes se assidue exercerent! ingens inde brevi sensuri incrementum quum pietatis, tum artis.

IV. Textus Systematici:

i. Disciplinae Contemplativis. 1º. Integrae, Aristotelis universa Opera Physica. 2º. Partialis, Libri Aristotelis de Coelo: ejusdem de Anima.

ii. Disciplinae Operativis. 1º. Integrae, Ethica Aristotelis. 2º. Partialis, Pars aliqua hujus Compendii, puta secundus ejus Liber; vel Tractatus de Demonstratione in tertio Libro a cap. 11. ad cap. 16. inclusive.

Subtituli Capitis Quinti.

1. De Analysi in genere.
2. De Praecognitis circa Textum.
3. De Simplici Analysi Propositionum.
4. De Simplici Analysi Syllogismorum.
5. De Analysi Thematica.
6. De Analysi Problematica.
7. De Analysi Mixta.
8. De Analysi Methodica.

APPENDIX POSTERIOR

MISCELLA.

CAP. I.

De Quinque Habitibus Mentis.

APPENDICEM hanc, Miscella quaedam generalia complectentem, (illa quidem pleraque non proprie Logica, sed quae tamen juvenibus studiosis speremus fore nec inutilia prorsus, pendicis. ^{§. 1.} nec ingrata) visum fuit praesenti opusculo comitem adjungere, velut supernumerarium quoddam Ἐπίμετρον, et reliqui operis Corollarium. In qua quatuor ista totidem capitibus adumbranda suscepi, sed breviter. 1º. Numerum et Naturam Habituum Mentis. 2º. Disciplinarum Universum Circulum. 3º. De Adornandis Locis Communibus Consilium. 4. Historiam Logicae.

Nulla potest Tractatio rite institui, nisi ad propriam suam Disciplinam revocetur; nec Disciplinae dextre distingui ab invicem, nisi prius constet ad quem Habitum mentis quaeque sit referenda. Est autem Habitus mentis, Qualitas multis actionibus acquisita, per quam Intellectus proxime disponitur ad assentiendum alicui veritati infallibiliter. Excluduntur ergo per istam Definitionem, 1º. Habitus infusi, ut Fides Divina: quia non acquiruntur multis actionibus. 2º. Habitus morales, ut Virtutes et Vitia: quia eorum Subjectum est Facultas Volitiva, non Intellectiva: Objectum formale, Bonum et Malum, non Verum et Falsum; Propria Operatio, Electio aut Fuga, non Assensus et Dissensus. 3º. Habitus vitiosus, * ut Error: quia per eum mens assentit falsitati, non veritati. 4º. Habitus

^{§. 2.}
Communi-
nia de Ha-
bitibus
Mentis.

* In the latest Editions, ‘Habitus vitiosi.’

indifferentes ad verum et falsum; ut Opinio, Suspicio, Fides Humana: quia assensus, quem isti pariunt in mente, non est infallibilis; ut cui potest subesse falsum. Habitus distinguuntur invicem per suos Actus; Actus vero per Objecta.*

§. 3.
Habituum
Numerus.

Istis exclusis, numerus Habituum mentis est praecise quinarius, prout eorum species enumerantur ab Aristotele, lib. vi. Ethic. cap. 3: scilicet Intellectus Principiorum, Scientia, Sapientia, Prudentia, et Ars. Quorum Intellectus est circa Principia; reliquae circa Conclusiones; sed Scientia et Sapientia circa Conclusiones in Materia Speculabili, Prudentia vero et Ars in Materia Operabili. De singularum natura et proprietatibus dicendum ordine.

¶ §. 4.
Intellectus.

Intellectus est Habitus quo mens inclinatur ad assentendum firmiter et immediate Principiis immediatis. Actus Intellectus proprius est Assensus Immediatus; et Objectum proprium, Principium Immediatum. Sicut enim id in quod tendit Intellectus est veritas immediata, immediatae scilicet causae, (de qua vide lib. iii. Compend. cap. 12. paragr. 11.) sic actus per quem tendit in ipsum, est assensus immediatus propter evidentiam in re ipsa sine aliquo discursu. Hinc fit ut ex omnibus Habitibus mentis iste facillime eliciat suum actum: dictus propterea, nomine ipsius facultatis translato in Habitum ejus, Aristoteli Νόης: Latinis vel simpliciter Intellectus, vel adjecto, distinctionis ergo, proprio ejus Objecto, Intellectus Principiorum. Quum autem tria sint quae promiscue passim Intellectus nomen sortiuntur, ipsa nimirum Potentia intellectiva, Actus intelligendi, et praesens Habitus, poterint tria haec commodissimis appellationibus sic distingui, si Potentia Intellectus vocetur, Actus Intellectio, Habitus Intelligentia.

§. 5.
Species
ejus.

Principia immediata alia sunt θεωρητικά, quae cognoscitiva, alia πρακτικά, quae activa, alia ποιητικά quae factiva Latine verti possunt. Ex qua Principiorum diversitate totidem oriuntur species Intelligentiae. Intelligentia Theoretica, quae et κατ' ἔξοχήν simpliciter Intellectus Principiorum dicitur, versatur circa Principia sciendi, quale est illud Metaphysicum, ‘Impossibile est idem esse et non esse.’ Intelligentia Practica, quae et Synteresis dicitur, quasi conservatrix Legis Naturae, versatur circa principia Agendi: quale est illud Ethicum,

* Compare Sermon i. ad Aulam, §. 4.

‘Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.’ Intelligentia Poetica (quam Alstedius, quod novo sed nimis affectato vocabulo Intellectum Organico-Mechanicum primus nominaverit, non est quod glorietur) versatur circa Principia Efficiendi: quale est illud Logicum, ‘Ex veris nil nisi verum sequitur.’ Sed istae omnes species conveniunt in una communi ratione univoca, secundum quam formaliter distinguuntur a reliquis quatuor speciebus Habitus, ut una tantum species ejus.

Scientia est Habitus quo mens inclinatur ad assentiendum firmiter veritati necessariae, propter evidentiam quam habet in suis causis proximis. Objectum Scientiae est Veritas Necessaria, necessitate scilicet non solum praedicationis in se tota, sed etiam existentiae ex parte Subjecti, unde nec Singularia, nec Entia per accidens, nec Contingentia possunt cadere sub Scientiam; et per hoc distinguitur Scientia ab Artibus et Prudentiis, quarum Subjecta non habent esse per se, sed solum per operationem nostram. Proprius ejus Actus est assensus certus propter evidentiam causae proximae; et per hoc distinguitur a Sapientia, ut mox videbitur. De duplice certitudine talis assensus vide lib. iii. Compend. cap. 11. paragr. 2.

Sapientia est Habitus quo mens inclinatur ad assentiendum firmiter Conclusioni necessariae, propter evidentiam quam habet in suis causis, primis et supremis. Objectum Sapientiae idem quod Scientiae: nisi quod restrictius sit propter quasdam requiras conditiones mox declarandas. Proprius ejus Actus est assensus certus propter evidentiam causae universalissimae et primae. Aristoteles, lib. i. Metaphys. cap. 2, ponit sex proprietates Sapientiae, quae omnes Metaphysicae Scientiae convenient.

1. Versari circa omnia. Non secundum proprias rationes, sed secundum rationes communes omnibus, in quantum sunt Entia.

2. Versari circa difficillima. Universalissima scilicet et a vulgi cognitione remotissima, qui vix ultra sensum sapiunt.

3. Versari circa certissima et evidentissima. Non contradicit hoc superiori: immo vero nititur eodem fundamento; nam certiora sunt et evidentiora natura, quae sunt propinquiora primis principiis, qualia sunt universaliora.

4. Aptissimam esse ad docendum. Non quod tradat modum

docendi, sed quod causas maxime cognoscat ex quibus maxime docetur.

5. Maxime esse expetendam, et per se. Per se quidem, quia Habitus est Theoreticus; maxime vero, quia inter Theoreticos dignissimus.

6. Praeesse reliquis Disciplinis, ex qua scilicet reliquae habent probare sua Principia.

Ex istis proprietatibus patet Sapientiam esse Habitum non aggregatum ex Intellectu et Scientia, quod nonnulli docuerunt, sed ab utraque per propriam suam rationem formaliter et specificie distinctum.

§. 8.
Prudentia.

Prudentia est Habitus recta cum ratione Activus: sive est Habitus quo mens inclinatur ad assentiendum firmiter Veritati practicae ex principiis practicis. Diciturque Prudentia Intellectualis, ad differentiam Prudentiae Moralis: quarum Moralis est in voluntate et appetitu, Intellectualis vero in Intellectu Practico; etsi utraque praxin respiciat et circa res agibiles versetur. A reliquis vero Intellectualibus distinguitur Prudentia per Objectum suum proprium, quod est Veritas circa agibilia.

§. 9.
Ars.

Ars est Habitus recta cum ratione Effectivus: sive, est Habitus quo mens inclinatur ad assentiendum firmiter Veritati poeticae ex principiis poeticis. Objectum ejus proprium est Veritas Poetica, h. e. Conclusio circa effectibilia. Ars interna est, vel externa. Interna, qua Intellectus dirigit semet ipsum ad aliquid efficiendum circa voces aut res in ipso conceptas: Externa, qua Intellectus dirigit organa corporea ad aliquid efficiendum circa materiam ad extra. Hanc aliqui, discriminis ergo, Mechanicam dixerunt, et priorem illam Organicam.

§. 10.
Fides Di-
vina.

Est quidem praeter dictas et alia etiam species Habitus, quae Fides Divina dicitur. Sed ea est toto genere diversa ab illis quinque. Nam illae sunt acquisitae, et suo quodam modo naturales, in quantum sunt ab homine comparabiles per solum exercitium virium naturalium. Fides vero Divina non habetur nisi per Infusionem Supernaturalem et Divinam; unde et Habitus infusus dicitur, et supernaturalis. Estque Habitus, quo mens inclinatur ad assentiendum firmiter Veritati inevidenti propter auctoritatem revelantis Dei. Objectum ejus est Veritas Inevidens; inevidentia scilicet vel materiali, quae est Terminorum, et ex parte rei creditae, vel formalii saltem, quae est

Subjecti, et ex parte hominis credentis. Actus vero proprius est assensio firma tali objecto propter auctoritatem Dei revealantis. Nam et Conclusionibus de Fide assentit credens, proxime fortassis et immediate per discursum ex principiis, ultimate tamen propter solam Revelationem Divinam; in quam unam omnes tam Conclusiones quam Principia, quae sunt de Fide, finaliter resolvuntur.

In praedictis Habitibus universis et Veritas est, et Infallibilitas; sed dantur alii etiam Habitus, quos tamen propter defectum alterius ex ipsis Aristoteles non curavit enumerare; suntque Error, Opinio, Fides humana, et Suspicio. Errori deest Veritas: reliquias Infallibilitas. Error semper de falsis est: reliquias non repugnat subesse falsum.

I. Error est ^{§. 11.} *Habitus*, quo mens inclinatur ad assentiendum sine formidine falsitati. Objectum Erroris semper est falsum. Actus vero est assensio tali falso sine formidine: per illud distinguitur ab Habitibus dictis, per hunc a dicendis. Error errorem continuo parit; nec datur status: unde illud ex Aristotele desumptum, ‘Uno absurdo dato mille sequuntur;’ et illud aliunde satis tritum, ‘Erranti nullus terminus.’*

II. Opinio est *Habitus* quo mens inclinatur ad assentiendum cum formidine alicui Propositioni, propter probabilitatem quam videtur habere. Objectum Opinionis est *Propositio probabilis*, saltem ad hominem, sive sit in se vera, sive non. *Propositio autem redditur probabilis alicui, vel ratione Medii, quum scilicet infertur ex Medio probabili, et hoc facit Opinionem Mediaticam; vel ratione Terminorum, quum scilicet mens prona est ad assentiendum ei etiam sine Medio, auditis tantum Terminis: ut, ‘Quod omnes parentes diligent liberos;’ et hoc facit Opinionem Immediatam.* Actus proprius est assensus tali Propositioni cum formidine Oppositi. Opinio et Scientia ejusdem non possunt simul esse in eodem; possunt tamen in diversis.

III. Fides humana est *Habitus* quo mens inclinatur ad assentiendum cum formidine alicui Propositioni propter auctoritatem humanam: Objectum Fidei humanae est *Propositio seu vera, seu falsa, proposita ab homine fide digno.* Actus ejus est assensio tali Propositioni propter auctoritatem proponentis, cum formidine Oppositi.

* Compare Vol. ii. p. xi.

IV. Suspicio, sive Dubitatio, est Habitus quo mens inclinatur ad assensum indeterminatum circa aliquam Propositionem. In reliquis Habitibus mens amplectitur alteram partem contradictionis determinate, cum vel sine formidine alterius; ast in Dubitatione, sive Suspicione, (istas enim non distinguo specifice, quae vix differunt omnino, nisi forte secundum gradum, aut saltem Objecto partiali,) mens indeterminate se habet ad utramque, quandoque propensior in alteram, sed valde leviter, et sine notabili aliqua inclinatione.

§. 12.
Habitus
Mixtus.

Praedicti Habitus omnes Simplices sunt: quibus accenset Mistos ex Theoreticis et Practicis duos, Naturalem unum, Philosophiam, alterum Supernaturalem, Theologiam, Alstedius, lib. ii. Praecog. Philosoph. cap. 18. Perperam. Nam, primo, non potest ex pluribus simplicibus specifice distinctis resultare aliquod mixtum specifice ab illis distinctum. Secundo, multo minus mixtus Habitus ex Theoretico et Practico; sic enim idem Habitus, qui ordinatur ad solam Contemplationem, ordinaretur etiam ad operationem, quod implicat. Tertio, Simplicibus Habitibus contradistinguuntur quidem Habitus, non Mixti, sed Aggregati: quales sunt singulae Disciplinae, de quibus mox in capite proximo, inque his sacra Theologia; Philosophia vero ipsa est aggregata ex pluribus Disciplinis, sicut quaelibet Disciplina aggregata est ex pluribus Habitibus. Sed ista satis de Habitibus; de quorum numero et distinctione ita accurate disputavit Aristoteles, ut sit omnino defendendus, non tantum excusandus, saltem non exagitandus.

Subtituli Capitis Primi.

1. De Definitione Habitus mentis.
2. De Distinctione Habituum per Actus et Objecta.
3. De Numero Habituum mentis.
4. De Intelligentia Principiorum in genere.
5. De Intelligentia Theoretica.
6. De Syntesi.
7. De Intelligentia Poetica.
8. De Scientia.
9. De Sapientia.
10. De Prudentia.
11. De Arte.
12. De Fide Divina.

13. De Errore.
14. De Opinione.
15. De Fide Humana.
16. De Dubitatione et Suspicione.
17. De Habitibus Mixtis et Aggregatis.*

CAP. II.

De Circulo Disciplinarum.

Ex multis Simplicibus Habitibus circa varias Conclusiones quae quidem ad unum aliquod Subjectum vel Finem principalem pertinent, oritur Habitus aggregatus, quae Disciplina dicitur. Disciplinae singulae nomen induunt eorum Habituum ex quorum complexione oriuntur: ut Disciplina quae est de Corpore Naturali Scientia dicitur, quia complectitur particulares Scientias multarum Conclusionum, quae sunt de Corpore Naturali ut de principali subjecto, aut ad ipsum referuntur. Disciplinarum communissima divisio est in Theoreticas, sive Contemplatrices, quarum finis est Contemplatio sui Subjecti; et Practicas late, sive Operatrices, quarum finis est aliqua Operatio nostra, Actio scilicet vel Effectio. Universitatem Disciplinarum τὸν κύκλον vocant, sive τὰς ἐν κύκλῳ παιδείας, quasi Circulum quandam et Orbem omnia scitu digna intra suum ambitum continentem, Encyclopaediam.

Disciplinas Mechanicas et Sellularias, quas docuit ‘Magister artis Venter,’† ut animo liberali indignas, ad eos relegamus qui Instrumentales. Disciplinae aut Instrumentales sunt, aut Architectonicæ. Keckermannus Directrices, et Objectivas vocat: Veteres προπαιδείαν, παιδείαν: poteris, si voles, Serviles, et Regias. Serviles, sive Instrumentales sunt Grammatica, Logica, Rhetorica: quas Scholastici partem Philosophiae Sermocinalem, vel Rationalem faciunt, quod in sermone aut ratione recte instituendis versentur. Barbari Trivium vocant, nimirum, quod sint tres ex septem illis quas vocant Artes liberales: sicut quatuor reliquas ob eandem rationem Quadrivium. Ex his Logica rationem dirigit, et ordinatur ad intellectum perficiendum: Grammatica vocem, et ordinatur ad formandum sermonem: Rhetorica

* In the First and Second Editions, ‘An detur Habitus Mixtus ex Theoreticis et Practicis?’

† Magister artis ingenique largiter Venter.

Persius, Prolog. 10.

utramque suo modo, magis tamen vocem, et ordinatur ad movendum affectus. Istis aliqui addunt Mnemonicam, quae scilicet Memoriam haud aliter juvet quam Logica Mentem; sed vereor, ut sit illa Mnemonica Impostura magis quam Ars, siquidem tradatur aliqua, quae sit ab ea Methodo distincta, quae in Logica docetur. Instrumentales istae sunt omnes Operatrices per Effectiōnem, et proinde sunt in genere Artium.

**§. 3.
Physica et
Metaphy-
sica.**

Disciplinae Regiae sive Architectonicae, quibus Instrumentales inserviunt, sunt partim Philosophia, partim Professio, Philosophia superior. Philosophia est Disciplina ex Scientiis et Prudentiis aggregata. Scientiae Philosophicae sunt tres, Physica, Metaphysica, Mathematica. Quarum Physica est de rebus immersis in materia sensibili. Mathematica et Metaphysica de rebus abstractis ab ea; sed Mathematica de abstractis ratione tantum, non autem re.* Metaphysica de abstractis, partim re, partim per indifferentiam. Physica est una tantum Scientia, cujus Subjectum est Corpus Naturale. Metaphysica est una tantum Scientia, vel potius Sapientia, cujus Subjectum est Ens qua Ens.

**§. 4.
Mathema-
tice Purae.**

Mathematicarum appellatione variae Disciplinae veniunt intelligendae, sed quae sunt omnes de Quantitate secundum rationem abstracta a Materia sensibili. Abstractio autem talis vel est pura, sine omni concretione cum Materia, vel impura, quae patitur aliqualem cum ipsa concretionem: unde Mathematicae aliae sunt Purae, aliae Mixtae. Purae sunt, quae considerant Quantitatem pure abstractam a Materia; Mixtae, quae considerant Quantitatem abstractam quidem plurima ex parte a Materia, cum aliquali tamen concretione: unde nonnulli Mathematicas Puras, Abstractas dixerunt, Mixtas, Concretas. Purae, sive Abstractae, sunt duae; Arithmetica, et Geometria: quarum Arithmetica considerat Quantitatem Discretam, habetque pro subjecto Numerum sive Multitudinem; Geometria vero considerat Quantitatem Continuam, habetque pro subjecto Mensuram, sive Magnitudinem.

**§. 5.
Mathemati-
cae Mixtae.**

Mathematicae Mixtae sive Concretae, quodam medio modo se habent inter Scientias Naturales et pure Mathematicas: μέραι propterea dictae Peripateticis, quasi Scientiae Mediae,

* In some of the latest Editions rebus abstractis ratione tantum, non this was altered to 'Mathematica de autem re.'

nec scilicet pure Naturales, nec pure Mathematicae : Mathematicis tamen potius accensendae quam Naturalibus, quia Abstractio in ipsis praevalet Concretioni. Sunt autem Mathematicae Mediae Cosmographia, Optica, et Musica ; quarum Cosmographia et Optica considerant Magnitudinem, et subordinantur Geometriae ; Musica vero Numerum considerat, et subordinatur Arithmeticæ. Cosmographia considerat Quantitatem aliqualiter concretam Materiali Corpore : Optica et Musica Materiali Qualitate ; Optica scilicet Visibili, Musica Audibili. Cosmographia considerat Mensuram in toto Mundo et partibus ejus ; cui subordinantur Astronomia, de Mensura in Orbe Coelesti ; et Geographia, de Mensura in Orbe Terræ. Optica, seu Perspectiva, considerat Mensuram ut est in Luce et Colore. Musica denique Numerum considerat ut in sono est : h. e. Numerum sonorum.

Mathematicae Disciplinae Theoreticae sunt omnes ; sed tamen illis accidit indirecte Praxis, non ut Finis per se, sed ut Utilitas emergens. Hinc aliquae artes vere Mechanicae, propter tamen principia Mathematica in quibus fundantur, et utilitatem insignem, quam eorum praxis a posteriori praestat studio et profectui Mathematicarum Disciplinarum, et ipsae etiam Mathematicarum appellatione frequenter censemur, nec indignae aestimantur in quarum studio liberalia ingenia operam nonnullam collocent. Quales sunt præ caeteris, 1º. Geodætica, de mensurandis quibusunque corporum dimensionibus. 2º. Statica, de ratione ponderum. 3º. Nautica, de arte navigandi. 4º. Pictura, de ratione exprimendi figuræ hominum, rerum, regionum, &c. 5º. Architectura, de ratione fabricandi omne genus aedifici.*

Prudentiae Philosophicae, aut sunt κυρίως et primario sic dictæ, et sunt Ethica, Oeconomica, Politica ; aut secundario, et sunt Historica et Poetica. Illæ Prudentiae Methodicæ dici possunt, istæ Exemplares. Ethica est Prudentia de moribus, et officiis in vita communi. Oeconomica est Prudentia de moribus, et officiis in Familia. Politica est Prudentia de moribus, et officiis in Civitate vel Republica. Nec est quod quis addat Prudentiam Ecclesiasticam, Scholasticam, &c ; istæ enim sunt species Politicae, sicut Ecclesia, Academia, &c, sunt species Reipublicae.

* In the First and Second Editions, ‘ aedificia.’

§. 6.
Mathematicæ Praetice.

§. 7.
Disciplinae Morales.

§. 8.
Historica
et Poetica.

Prudentiae Exemplares sunt Historica et Poetica: quarum Historica tradit Methodum Exemplorum, Gestorum et Realium; Poetica, Fictorum et Idealium. Ut enim Historia narrat res gestas a veris personis, sic Poesis narrat res geri solitas in vita communi sub fictis personis, ita ut Poesis nihil aliud esse videatur quam Historia Idealis. Historicae inserviunt prae reliquis Chronologia et Chorographia, scilicet ut famulae, non ut partes, nam Chronologia Astronomiae pars est, et Chorographia Geographiae. Poeticae vero potissimum inservit Ars versificatoria, quae pars est Artis Grammaticae.

§. 9.
Medicina et
Jurispru-
dentia.

Professiones seu Facultates Philosophia superiores, quibus, ratione usus, Disciplinae Philosophicae velut ancillantur, sunt tres illae supremae, Medicina, Jurisprudentia, Theologia. Medicina et Jurisprudentia facile Theologiae dant primas: sed neutra alteri concesserit lubens. Aemulæ facultates utraeque, quia utraeque summae; quarum Medicina tendit in bonum corporis humani Naturalis, Jurisprudentia in bonum corporis Politici. Et Medicinæ quidem artes fere omnes manuales aliquo modo subserviunt, ut quarum pleraeque ad curam humani corporis, qua propinquius, qua remotius, pertineant; ratione scilicet victus aut vestitus. Jurisprudentiae vero reliquæ Prudentiae subjiciuntur, Politica praesertim, cuius in gratiam Magistratus et Curia et Officia publica constituta sunt. Ad Medicinam spectant Botanica, de simplicium Medicamentorum natura, viribus, et usu; Anatomica, de corporis humani fabrica et partibus; Pharmaceutica, de compositione medicamentorum: Chirurgica, de curatione partium externa; aliaeque artes nonnullae, ut partes vel species ejus. Ad Jurisprudentiam spectat Ars Notaria, aliaeque. Sed de istis satis.

§. 10.
Theologia.

Sacra Theologia omnium Disciplinarum merito suprema habetur et dignissima, ut ad quam cura pertineat immortalis animae; estque methodica aggregatio plurium Principiorum et Conclusionum quae sunt de Fide Divina. Qui eam ex Sapientia, Scientia, et Prudentia volunt esse mixtum Habitum incommodo sentiunt; etsi enim Sapientiae nomen propter dignitatem Theologiae tribuatur aliquando, non tamen id fit univoce; sed ut per hoc Theologia distinguatur a reliquis Prudentiis, quae sunt Morales seu Naturales, quum ipsa sit Prudentia Supernaturalis et Religiosa. Est ergo Theologia

una tantum Disciplina, atque in genere Prudentiae,* quum habeat pro fine suo Actionem, scilicet Fruitionem Dei, quo pervenitur per media activa ad Fidem, Poenitentiam, Vitae Sanctimoniam.

Subtituli Capitis Secundi.

1. De Disciplinis in genere.
2. De Encyclopaedia.
3. De Disciplinarum partitione in Mechanicas et Liberales.
4. De Instrumentalibus Disciplinis.
5. De Philosophia.
6. De Philosophia Contemplativa.
7. De Mathematicis Puris.
8. De Mathematicis Mixtis.
9. De Mathematicis Practicis.
10. De Philosophia Morali.
11. De Historica et Poetica.
12. De tribus Professionibus supremis.
13. De Ordine Disciplinarum inter se, et de ratione studii recte instituenda.†

CAP. III.

De Colligendis Loci Communibus.

Loci Communes sunt Tituli ad quos omnia, quae inter legendum aut meditandum utilia occurrunt, velut ad quasdam classes revocantur, inde quoties facto est usus depromenda. Loci Communis Communitatis. Locorum um Utilitas. Communes sunt memoriae et necessarium simul et firmissimum subsidium, habentque alias fructum ingentem, quem experiare facilius quam eloquare.

Locorum Communium Collectio vel Adversaria est vel Methodica. Adversaria Collectio est, qua ut quaeque prius posteriusve occurrunt ita in libris notantur, neglecto naturali ordine rerum ipsarum. Ejusmodi Adversariae Collectionis triplicem fere rationem est observare.

I. Quum diversae materiae a principio libri continuo sibi subnectuntur, nullo relichto spatio chartae purae inter ipsas,

* ‘Prudentiae.’ So in the first Six Editions. In some of the later, ‘Prudentia.’

† This last Question was added in the Third Edition.

nec servato ordine vel saltem Alphabetico; sed annotatis tantum in margine ad oram singularum materiarum Titulis ad quos ipsae pertinent, et instituto tandem seorsim Indice Alphabetico, qui ostendat qua in pagina quidque reperiatur; estque modus omnium confusissimus.

§. 3.
Modus secundus.

II. Quum singulis Alphabeti literis certus paginarum numerus destinatur, sed res ipsae confuse scribuntur, nisi quod quaeque referatur ad literam initialem sui Tituli, ut Avaritia ad A, Suspicio ad S, annotato in margine peculiari ejus Titulo, una cum notis numerorum ordinem Tituli indicantibus; ne sit necesse eundem Titulum margini saepius inscribere, si saepius occurrat: v. g. si in Alphabeto literae A sexto loco aliquid occurrat de Avaritia, vicesimo fortasse de* Astutia, &c, res ipsas ubi descripseris, scribe in margine Titulos cum numeris sic, 6. Avaritia. 20. Astutia. Inde si quid denuo occurrat de Avaritia aut Astutia notandum, percurre Titulos in margine, reperiesque Avaritiam sub numero 6, Astutiam sub numero 20, collocari. Noli ergo Margini denuo Avaritiam aut Astutiam inscribere, sed numerorum tantum notas, 6, aut 20. Sed et hic modus est admodum confusus.

§. 4.
Modus tertius.

III. Quum singulis Titulis singulae paginae destinantur, vel secundum Alphabeti ordinem, qui mos est plurimorum, vel, quod est aliquanto consultius, eo ordine, quo quique occurrerint: facto seorsim Indice Alphabetico Titulorum, ut in primo modo, adscriptisque margini Subtitulis cum notis numerorum ea ratione, qua de Titulis dictum est in secundo modo: v. g. si inter legendum quod primum notatu dignum occurrerit sit de Voluptate, proximum de Anima, &c, esto Voluptas Titulus primae paginae, Anima secundae, &c. Est hic modus longe optimus omnium eorum qui sunt Collectionis Adversariae.

§. 5.
Usus Adversarium.

Collectio Adversaria, etsi methodo careat et arte, habet tamen suum usum paene necessarium; inservit enim partim Praeparationi, partim Compendio. Praeparationi quidem, ut scilicet juvenes non interea patiantur lectionem suam perire, plurimaque notatu digna labi e manibus, dum sunt adhuc imparati a methodo accuratiore, qua lecta auditaque commodius digerant; Compendio vero, ne qui peculiari cuiquam Professioni studia sua dicarunt cogantur plurimum temporis in rebus.

* 'fortasse de.' In some of the latest Editions, 'fortasse aliquid de.'

suis studiis multum alienis collocare, si eurent in singulis Disciplinis esse accurate Methodici. Logica quidem, quia est ea Ars omnium Disciplinarum instrumentum, e re fuerit studiosorum omnium methodice collegisse: ut etiam eujusvis studiosi Locos Communes in ea facultate cui nomen suum dedit, illisque Disciplinis quae cum ea sunt coniunctiores; in reliquis vero poterit Adversaria Locorum collectione contentus esse. Quorsum enim aut Medicus Moralia, aut Jurisconsultus Mathematica nimis anxie sectaretur?

Collectio Methodica Locorum Communium est, in qua relucet aliqua methodicae dispositionis ratio. Estque ea rursum vel Popularis vel Accurata. Popularem dico, in qua servatur Methodi ratio minus accurata: hujus varii sunt modi. Alii enim secundum tabulas decem Praedicamentorum Locos disponunt, alii omnia ad Praecepta Decalogi referunt, aliique aliter pro suo quisque ingenio et judicio. Sed angustiores sunt omnes isti modi quam ut universa complectantur, et turbatores quam ut satis distinete.

Collectio Methodica Accurata est in qua Tituli Locorum disponuntur accurate secundum propriam Methodum uniuscujusque Disciplinae. In quem finem suadent nonnulli Auctoris alicujus opus methodicum, quale scilicet ipsi maxime comprobamus, nobis ob oculos ponere, ejusque vestigia sequi, singulorum capitum Titulos in libris nostris ordine describentes, paginasque aliquam-multas singulis Titulis relinquentes, ut et Subtitulis pariter suo ordine spatia majora vel minora, proportione ipsarum materiarum.

Bene quidem illi, nec reprehendo. Caeterum quandoquidem Collectio Locorum Communium non est ipsa rerum tractatio, sed apparatus ad ipsam, sive congestio rerum tractandarum, et Methodus accurata in disponendo quidem necessaria est, in colligendo non item, quid ipse sentiam hac in re utilissimum, si non ingratum fuerit, bone Lector, paucis accipe.

I. Initio libri Tabula Methodica, quae Generales tantum Titulos complectatur, una aut altera pagina describatur. Illa enim totius Disciplinae fabricam et methodum una quasi synopsis semper praesentabit.

II. Titulis singulis, eo ordine quo describuntur in Tabula, Subtituli sui subjiciantur. Sed Tituli vel rubrica vel majus-

§. 6.
Collectio
Methodica
Popularis.

§. 7.
Collectio
Methodica
Accurata.

§. 8.
Consilium
Auctoris.

cula characterum forma, vel alia aliqua insigni nota a Subtilis distinguantur.

III. Subtitulis singulis numerorum notae praeficiantur, relinquaturque spatiolum ad finem lineae, in quo annotari possit peculiaris pagina libri nostri, in qua aliquid pertinens ad talem vel talem Subtitulum disponitur. Relinqui debet etiam spatium sex aut septem linearum post Subtitulos singulorum Titularum, in quibus describantur, si forte alii aliqui Subtituli inter legendum nobis occurrant, praeter eos quos hactenus descripsimus.

IV. Singulis Subtitulis pagina una relinquatur, prout res notandae occurrerint. Methodus, si sit in Tabula Generali accurata, et in Speciali Indice Subtitulorum mediocris, non est exigenda in ipso libro. Sed ut materia aliqua prima occurrerit, ita Subtitulo ad quem illa materia pertinet prima pagina detur, secunda secundo, et deinceps : numerus tantum paginae adscribatur suo loco in Indice Subtitulorum.

§. 9.
Praxis
hujus con-
sili.

Exemplum paene exhibuimus in hoc Compendio Logicae, cuius singula Capita possunt esse singuli Tituli Locorum Communium in hac Disciplina, Quaestiones vero capitibus subjectae singuli Subtituli. Spatiu[m] reliquimus post singula capita, cui inserantur et aliae Quaestiones sive Subtituli, si qui alibi occurrant, ad materiam illius capititis spectantia. Spatiolum etiam reliquimus in fine lineae post singulas quaestiones, una cum litera p,* quae paginam significat; eo consilio ut juvenes, appositis ad literam numerorum figuris, peculiares paginas indicent suorum librorum, in quibus reperiuntur materiae ad dictos Subtitulos sive Quaestiones pertinentes. Si quis velit colligere Locos communes Logicos, Index Capitum et Subindices Quaestionum praesentis Compendii possunt esse ei pro Indice. In reliquis etiam Disciplinis Indices istiusmodi in suum usum concinnabit, quos praefiget libris suis Locorum Communium pro illis Disciplinis.

§. 10.
Locorum
adornatio.

Loci Communes sic instituti adornandi sunt diligenter. Si quid lectio, auditio, meditatio, suggesterit, quod memoria dignum censeatur, illud in Locis Communibus, ut mella apes in favis, studiose collocabis ; diemque deperditum duces, in quo

* This insertion of the letter p was not continued beyond the Third Edition.

non est aliquid in Locos Communes relatum. Sententias auctorum breves, illustres, et nervosas, Voces artis et rerum appellationes, Praecepta Disciplinarum, Vocabulorum distinctiones, aliaque similia, ipsius auctoris verbis et αὐτολέξει consignabis, adjecto ad finem aut in margine, libro, capite, sectione, pagina, ubi illa reperiuntur. Caetera tuis verbis notabis. Si quid propria meditatione consecutus fueris quod sit illustre, peculiari aliqua nota id ab alienis distingues. Si materiam alicujus Tituli aut Subtituli reperies ubivis ab aliquo fusius tractari, non erit necesse ex auctore quidquam transcribere: satis erit locum ipsum, ut prius, indicasse.

Subtituli Capitis Tertii.

1. De Utilitate Locorum Communium.
2. De Locis Adversariis.
3. De Locis Methodicis.
4. De Locis Communibus commodissime instituendis.
5. De Locis Adornandis.

CAP. IV.

De Historia Logicae.

LOGICAE Naturalis usum ante Aristotelem plurimi exercuerunt; nec enim aliter quidquam potuerunt in aliis facultatibus cum laude commentari. In ipsa etiam Arte aliquid ausi sunt e veteribus Pythagoras, Parmenides, Archytas Tarentinus, Zeno, Socrates, Plato, Xenocrates, Chrysippus, aliquique ex Stoicis et Academicis. Sed Stoicorum Logica non aliud quidquam fuit quam confusum quoddam Chaos praceptorum, sive potius exemplorum de Captionibus Sophisticis, aliisque ad ostentationem magis comparatis quam ad usum: unde illa monstrata argumentationum profluxere, Antistrophon, Crocodilites, Utis,* &c. Academicorum vero Logica, in quibus Plato familiam dicit, multo illa utilior fuit quidem, et magis seria; sed tamen nihil ordinate docet, aut acroamatice; praecepta tantum obiter immiscet exoterice, et in forma dialogorum. Primus mortalius Aristoteles et Logicae finem certum constituit, et praecipita in ordinem rededit, et singulari artificio integræ Artis

§. I.
Logici ante
Aristote-
lem.

* i. e. *Oūris*, See Mansel's *Artis Logicae Rudimenta*, p. 152.

methodum contexuit, rejectis heterogeneis, et exotericis, et inanibus subtilitatibus, ita ut Logicae Inventor optimo jure dici mereatur.

§. 2. Post Aristotelem deferbuit nonnihil Peripateticae doctrinae studium. Succedentibus enim saeculis, Oratoriis magis quam Philosophicis, Logica a fine suo proprio et genuino, quae contemplatio est et cognitio rerum, inflexa est propemodum omnis ad usum forensem, a docendo ad movendum, ab instruendo intellectum ad mulcendum affectus. Sic Cicero, et Ecclesiae Doctores Graeci Latinique, Augustinus, Hieronymus, Chrysostomus, alii.* Non defuere tamen, qui et illis saeculis libros Aristotelis Logicos commentariis illustrarent, aut ipsa aliquid in re Logica tentarent, Graeci praesertim, Porphyrius, Aphrodiseus, Simplicius, Ammonius, Themistius, Philoponus; et duo summi Arabes, Avicenna, et Averroes, sub quibus potissimum Logica Peripatetica neglecta jamdiu vires pristinas colligere et reflorescere coepit denuo.

§. 3. Insequutum est brevi Saeculum Scholasticum, in quo Logica et Philosophia Peripatetica a plurimis fuit illustrata, stylo quidem ineleganti nec elaborato, sed quem abunde compensavit admirabilis judicii profunditas, et in rebus perscrutandis omnino felix subtilitas. Post Alexandrum ab Ales, Anglum, qui Pater Scholasticorum habetur, Logicalia scripserunt Albertus Magnus, Thomas,* Scotus, Burlaeus, Occam, &c. Qui hos secuti in varias postea sectas sunt divisi, dum alii Scotistae, alii Thomistae, Nominales alii, alii Reales dici voluerunt. Sed Scholasticis istis praesertim vetustioribus (degeneres enim illi qui in Summulis et Sophistria omne aevum ineptierunt, indigni sunt qui locum inter Logicos sortiantur) tantum debet Logica, quantum fere aliis hominibus nullis. Sane illud optandum fuisset, ut non heterogenea saepius infarsissent, et Quaestiones Theologicas, Physicas, Metaphysicas, in Logica determinandas proposuissent.

§. 4. Scholasticorum plerisque, qui reconditionis subtilitatis aut judicii habebantur, cognomina quaedam indita sunt a discipulis suis, quae, quoniam celebria sunt in Scholis, facturi videbamur ta.

* 'alii.' In the Editions subsequent to the Third, 'aliique.'

omitted in and after the Sixth Edition.'

† 'Thomas.' This name was

rem non ingratam si hic attexerimus, etsi non sunt omnes Logici.

- | | |
|--|--|
| 1. Alexander ab Ales.
2. S. Tho. Aquinas.*
3. Joh. Duns Scotus.
4. S. Bonaventura.
5. Henr. de Gandavo.
6. Gualterus Burlaeus.
7. Willelmus Occam.
8. Aegidius Romanus.
9. Thomas Bradwardinus.
10. Johannes de Bacone.
11. Franciscus Maironius.
12. Adamus de Marisco.
13. Petrus Aureoli.
14. Johannes Bassolis.
15. Alexander Saxo.
16. Gerardus Odonis.

17. Antonius Siretus.
18. Petrus Lombardus.
19. Petrus Comestor.
20. Petrus Hispanus.
21. Averroes.
22. Petrus de Abano.
23. Suicetus.† | Doctor

1. Irrefragabilis.
2. Angelicus.
3. Subtilis.
4. Seraphicus.
5. Solennis.
6. Planus.
7. Invincibilis.
8. Fundatissimus.
9. Profundus.
10. Resolutus.
11. Illuminatus.
12. Illustris.
13. Facundus.
14. Ordinatissimus.
15. Illibatus.
16. Moralis.

Magister

17. Formalitatum.
18. Sententiarum.
19. Historiarum.
20. Summularum.†
21. Commentator.
22. Consiliator.
23. Calculator. |
|--|--|

* In the First Edition the second and third names were transposed.

† Petrus Hispanus, a native of Lisbon, was raised to the Papal Chair in 1276 as John XXI, and was killed in the following year by the falling in of the ceiling of a new room which he had added to his palace at Viterbo.

'His *Summulae Logicales* may be regarded as the earliest scholastic treatise on Logic which professed to be any thing more than an abridgment of, or commentary on, portions of the Organon.' 'The greater part of the Scholastic memorial verses are found for the first time in this work. Petrus Hispanus

does not, however, profess to be the author of them: indeed some are noticed by his contemporary Aquinas as established mnemonics.' Mansel, *Artis Logicae Rudimenta &c.* pp. xxxiii, 48, second Edition.

By the 'Summularii,' of whom Sanderson makes mention once and again, e. g. pp. 49, 64, 66, were intended, it would seem, the Compilers of short Treatises, in which the knowledge of Logic was made to consist chiefly in familiarity with such artificial aids to the memory.

† The First and Second Editions had only twelve names in all. 6, 7, 9, 12—16, and 21—23, were added in the Third Edition.

§. 5.
Lullistae.

Prodiit e media Barbarie vir magna professus, Raymundus Lullius, qui opus Logicum, quod specioso titulo insignivit Artem Magnam, commentus est: cuius ope pollicetur trimestri spatio hominem quemvis vel ipsa literarum elementa nescientem, totam Encyclopaediam perdocere; idque per circulos et triangulos et literas Alphabeti sursum vorsum revolutas. Habuit et iste tamen suos assertores et sequaces, Bernhardum,* Lavinhetam, Cornelium Agrippam, Paulum Schalichium, Petrum Gregorium Tholosanum, Jordanum Brunum, et paucos alios. Sed insignem vanitatem Artis Lullinae satis luculenter ostendit Keckermannus, Tract. 2. Praecogn. Logic. cap. 2. parag. 39.

§. 6.
Ramei.

Pulsa tandem Barbarie, Petrus Ramus, politioris literaturae vir, ausus est, post Ludovicum Vivem, Aristotelem acerius ubique et liberius incessere, universamque Peripateticam Philosophiam exagitare. Ejus Dialectica exiguo tempore fuit apud plurimos summo in pretio, maxime Eloquentiae studiosos, idque odio Scholasticorum, quorum dictio et stylus ingrata fuerant aribus Ciceronianis. Certe illud attulit Reipublicae Logicae emolumenti industria Rami, quod excitavit bona ingenia ad Methodi rationem diligentius excolendam. Sed tamen multa sunt quae in Logica Ramea eruditis merito displicant: ut, 1º. Innovatio terminorum artis, et rejectio vocum jamdiu receptarum in Scholis Logicorum. 2º. Mutilatio Logicae multiplex, quam Ramei limitibus nimium angustis definierunt, et partibus quibusdam integris spolarunt. 3º. Explicatio usus Logicae ex Poetarum et Oratorum scriptis, qui tamen res Logice non tractarunt, sed Exoterice. 4º. Praescriptio unicae Methodi ubique adhibendae, ejusque nimium exilis et morosae, qua Disciplinas omnes tradi volunt, per definitiones tantum et dichotomias. Sunt et alia plurima, qua vitia, qua defectus in Rameis justa reprehensione dignissima: quae accurate et graviter persecutus est Keckermannus, Tract. 2. Praecogn. Logic. cap. 4, per totum.

§. 7.
Systemati-
cici.

Produxit novissimum saeculum nonnullos Logicos, qui media quadam via Peripateticos inter et Rameos incedere gestierunt. Invehuntur ipsi palam in Rameos, laudant Peripateticos; sed

* ‘Bernhardum.’ This name was added in the Third Edition, before which they stood thus: ‘Schalichi-

um, Jordanum Brunum, Agrippam, Petrum Gregorium, Lavinhetam.’

tamen in Systematibus suis Logicis Ramei magis sunt quam Peripatetici. Nam et Terminos receptos in Peripatetica Schola immutarunt,* et luxuriant nimis in Methodo, dum sic omnia minutatim in frusta dividendo et subdividendo concidunt, ut succum rerum et substantiam interea amittant. Philippo-Ramei hi dici possunt, vel Systematici; quorum praecipuus est Keckermannus, quem insequuti non passibus aequis Timplerus, Alstedius, et alii nonnulli. Habet ille usum suum sane magnum et perutilem, sed iis qui judicio sunt maturo et probe subacto in Schola Peripatetica. Qui enim illius viri scripta cum Scholasticis, delectu facto Terminorum et Methodi, dextre conjugere poterit, is mea sententia in omni Philosophia utilissime versabitur. Optarim tamen ut minus tereretur Keckermannus in manibus juventutis, qui sunt assuefaciendi potius Terminis Peripateticis, ac Methodo simpliciori instituendi; nec tantum pollent judicio ut norint inutilia ab utilibus secernere.

Subtituli Capitis Quarti.

1. De Logica Veterum ante Aristotelem.
2. De Organo Aristotelis.
3. De Logicis post Aristotelem usque ad Scholasticos.
4. De Scholasticis.
5. De Logica Lullii.
6. De Logica Ramea.
7. De Systematicis.
8. De Praestantia Logicae Peripateticae supra Rameam et Lullisticam.

* ‘et Terminos—immutarunt’ omitted in Editions after the Sixth.



PHYSICAE SCIENTIAE

COMPENDIUM.

A

ROBERTO SANDERSON,

COLL. LINCOLN. IN ALMA OXONIENSI OLIM SOCIO,
ET IN EADEM ACADEMIA S. THEOLOGIAE POSTEA PROFESSORE REGIO,
ET NUPERO LINCOLN. EPISCOPO,

Ante multos annos lucis usurae destinatum, nunc vero ex authentico
Manuscripto primo impressum.

O X O N I A E,
EXCUDEBAT HEN. HALL, IMPENSIS RIC. DAVIS, 1671.



ELENCHUS CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

Cap.	Pag.
1. PRAECOGNITA.	199
2. De tribus Principiis rerum naturalium.	200
3. De Natura.	202
4. De Causis.	203
5. De Motu et Quietē in genere.	205
6. De Quantitate et Infinito.	207
7. De Loco et Vacuo.	208
8. De Tempore.	210
9. De Generatione et Corruptione.	210
10. De Augmentatione, Diminutione, et Alteratione.	211
11. De Motu Locali.	213
12. De divisionibus Motus Localis secundum ea quae conveniunt.	214

LIBER SECUNDUS.

1. De Mundo.	216
2. De Natura Coeli.	217
3. De Sphaeris coelestibus non stellatis.	218
4. De Sphaeris stellatis.	220
5. De Stellis in genere.	221
6. De Signis Zodiaci.	222
7. De Signis Septentrionalibus.	224
8. De Signis Meridionalibus.	225
9. De quatuor Elementis.	226

LIBER TERTIUS.

1. De Mixtione in genere.	230
2. De Meteoris Igneis.	231
3. De Meteoris Aëreis.	233
4. De Meteoris Aqueis.	234
5. De Meteoris apparentibus.	236
6. De Metallis.	237

LIBER QUARTUS.

1. De Plantis in genere.	240
2. De Plantarum Generibus.	241
3. De Partibus Animalium.	243
4. De Speciebus Animalium.	246
5. De Homine.	248
6. De Anima in genere.	249
7. De facultatibus et effectibus Animae Vegetantis.	249
8. De Sensu et Sensibili in genere.	251
9. De Sensibus externis.	253
10. De Sensibus internis.	255
11. De Appetitu et Motu.	257
12. De Anima Rationali.	259

PHYSICAE SCIENTIAE

COMPENDII

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Praecognita.

PHILOSOPHIA late sumpta est comprehensio Disciplinarum §. 1.
liberalium ad veri et boni rationem quoquo modo spectantium, Philoso-
sive illae sunt Philosophiae proprie dictae partes, sive phiae
facultates Philosophiae superiores, sive Definitio. ambarum instrumenta.

Disciplinae instrumentales, sive administrare et directrices, §. 2.
sunt tres Artes, Grammatica, Logica, Rhetorica. Facultates Philoso-
superiores sunt tres Professiones, quas vocant cardinales, phiae Divi-
Theologia, Jurisprudentia, Medicina. Reliquae Disciplinae sio.
Philosophiam proprie dictam, velut partes, absolvunt; sunt-
que vel Theoreticae seu Contemplativae, vel Practicae sive
Activae.

Contemplativae dicuntur Scientiae, et sunt tres, Physica,
Mathematica, et Metaphysica.

Activae dicuntur Prudentiae, et sunt tres, Ethica, Oeconomica, Politica.

Disciplinae hoc ordine addiscuntur, ab instrumentis talibus §. 3.
ordiendum est, inde ad speculativam Philosophiae partem pro- Ordo Dis-
grediendum, a speculativa ad practicam, quibus superatis, ad ciplinarum.
supremas demum Facultates condescendendum.

Scientiae distinguuntur penes subjecta sua. Subjectum §. 4.
autem Physicae est conjunctum cum materia; Mathematicae, Scientia-
conunctum quoad rem, sed abstractum quoad rum Sub-
Metaphysicae est utroque modo abstractum, cum quoad rem, jecta.
tum quoad rationem: proinde Physica inter Scientias et ordine
doctrinae prima est.

§. 5.
Physicae
Definitio.

§. 6.
Divisio.

Physica, sive Naturalis Philosophia, est Scientia Corporis Naturalis, quatenus naturale est.

Estque duplex { Generalis.
Specialis.

Generalis tractat de Corpore Naturali in genere secundum principia sua communia, et communes affectiones, quam tradit Aristoteles in octo libris Physicae Auscultationis.

Specialis agit de Corporis Naturalis Speciebus, earumque propriis, et affectionibus propriis quas tradit Aristoteles in libris de Coelo, de Generatione, de Meteoris, de Anima, et Animalibus, Parvorum Naturalium.

Quaestiones Capitis Primi.

1. De nomine et acceptionebus Philosophiae.
2. De numero et divisionibus Scientiarum.
3. De Disciplinarum ordine.
4. De Divisione Philosophiae in Theoreticam et Practicam.
5. De Divisione Scientiarum.
6. De Ordine Scientiarum.
7. De nomine et definitione Physicae.
8. De Subjecto Physicae.
9. De methodo tradendi Physicam.
10. De Subjecto octo librorum Physicorum.

CAP. II.

De tribus Principiis rerum naturalium.

§. 1.
Corpo
Naturali
quae con-
sideranda.

CORPORIS Naturalis consideranda sunt tum { Principia.
Affectiones.

Principiorum conditiones sunt, 1º. ut semper maneant : 2º. ut non fiant ex aliis, nec ipsa ex se mutuo : 3º. ut alia omnia ex illis fiant : 4º. ut sint contraria.

§. 2.
Principia
quot.

Principia autem sunt tria, 1. Materia, 2. Forma, 3. Privatio.

Horum Forma et Privatio, sunt Principia ut contraria: Materia, ut medium sive subjectum contrariorum. Materia et Forma, sunt Principia per se, ut quae constituant Compositum; Privatio per accidens tantum, ut quid necessarium ad ejus

Generationem. Proinde Privatio non est in coelo, sicut nec Materia et Forma, nisi analogice.

Materia est subjectum primum cujusque compositi, ex quo insito fit aliquid per se, et non per accidens, et in quod ultimo resolvitur.

Ejus Theoremata haec sunt,

1. Materia est cognitu difficultima: proinde non cognoscitur nisi per analogiam.

2. Materia est una numero omnium generabilium, una scilicet unitate Essentiae, non continuitate; et negative non positive. Hinc illa,

‘Materia est primum individuum.’

‘Materia est omnia.’

‘Materia est capax omnium Formarum.’

3. Materia ex se, est potentia sine actu, actu scilicet Physico non Metaphysico: Hinc illud,

‘Potentia est de essentia Materiae.’

4. Materia appetit Formam, ut perfectibile suum perfectivum. Hinc illa,

‘Materia meditatur maleficum.’

‘Materia est causa corruptionis in rebus.’

5. Materiae non est actio. Hinc illa,

‘Materia est bruta.’

‘Materia est Entium ignavissimum.’

Forma est actus primus, qui Materiae conjunctus, constituit compositum in perfecto suo esse.

^{§. 4.}
Formae
Definitio.

Ejus Theoremata sunt,

1. Forma dat nomen et esse; nam composita quae conveniunt in Materia distinguuntur per suas Formas.

2. Forma est quid bonum, divinum, et expetibile.

3. Omnis actio provenit a Forma. Agit quidem Compositum subjective, Qualitas instrumentaliter; sed utrumque in virtute Formae.

4. Forma est origo omnium Accidentium in Composito. Nam Accidentia nulla insunt vel Materiae vel Composito, nisi per determinationem a Forma.

5. Forma educitur de potentia Materiae.

Privatio est absentia Formae producenda in Subjecto, cum aptitudine ad eandem.

^{§. 5.}
Privationis
Definitio.

Ejus Theoremata sunt,

1. Privatio est non Ens: proinde non est principium rei, sed generationis.

2. Privatio est causa appetitus Materiae; nam omnis appetitus est ratione carentiae. Appetitus desiderii, non complacentiae.

Quaestiones Capitis Secundi.

1. De conditionibus Principiorum.
2. De numero Principiorum.
3. De definitione et acceptione Materiae.
4. De unitate Materiae.
5. De cognoscibilitate Materiae.
6. De potentia Materiae.
7. De impotentia Materiae.
8. De appetitu Materiae.
9. De definitione et acceptionibus Formae.
10. An Forma det nomen et esse?
11. An omnis Actio sit a Forma?
12. De fluxu Accidentium a Forma.
13. De eductione Formae et potentia Materiae.
14. De Privatione.

CAP. III.

De Natura.

§. 1.
Naturae
Definitio.

NATURA est Principium motus et quietis ejus, in quo inest primo, et per se, et non secundum accidens. Quandoque enim sumitur pro viribus et facultatibus rerum naturalium a tali principio fluentibus, ut quum dicitur, Natura ignis est urere.

§. 2.
Natura du-
plex.

Natura est Principium tum activum tum passivum, estque duplex { Forma, ut Principium activum.
Materia, ut Passivum.

quarum Forma est magis Natura quam Materia.

§. 3.
Naturale
quid est.

Naturale est quod ex his constat.

Secundum Naturam est quod ex his Principiis fluit, ut Proprium vel Accidens.

Contra Naturam, est quod * accidit contra Naturae communem ordinem: ut si lapis moveretur sursum.

* 'est quod.' In both the previous Editions, 'ut quod.'

Praeter Naturam est, quod quum non sit ex ordinario Naturae praescripto, Naturae tamen non repugnat, ut Monstra.

Supra Naturam, quod sit a primo aliquo Natura potentiori, ut miracula divina. Ejus Theorematum sunt,

1. Natura nihil facit frustra.
2. Natura non deficit in necessariis.
3. Natura semper agit ad ultimum sui posse.
4. Natura semper agit secundum rectam lineam.

Quaestiones Capitis Tertii.

1. De definitione et acceptationibus Naturae.
2. De Principio activo et passivo.
3. An Forma sit magis Natura quam Materia?
4. De eo quod est secundum, praeter, supra, et contra Naturam.
5. De sufficientia Naturae.
6. An Natura semper agat ad ultimum sui posse?

CAP. IV.

De Causis.

PRAETER Principia interna et constituentia, sunt etiam §. 1.
externa quaedam, quae simul cum internis communi nomine Causarum
appellantur Causae. divisiones.

Causarum autem genera sunt quatuor. Materia.
Forma.
Efficiens.
Finis.

Quarum Materia et Forma sunt Causae internae, Efficiens et Finis externae.

Materia est Causa ex qua, Forma per quam, Efficiens a qua, Finis propter quam res fit.

Physicus procedit secundum omnia quatuor genera Causarum. §. 2.
Agens autem naturale, sive efficiens, introducit Formam substantialem in Materiam primam, vel Formam accidentalem in Materiam secundam, propter aliquem Finem.

Causa Efficiens est, vel Universalis.
Particularis.

§. 3. Universalis simpliciter et absolute, est Deus, qui propterea dicitur Natura naturans, et prima Causa.

Universalis secundario, sive secundum quid, est coelum, et virtus coelestis.

Particularis, est uniuscujusque rei Natura.

Earum Theorematum sunt,

1. Secundae Causae habent actionem veram et proprie dictam.

2. Secundae Causae non agunt, nisi in virtute primarum. Primae enim Causae concurrunt ad quamlibet actionem secundarum, influendo virtualiter in ipsas, unde illud Aristotelis, 'Sol et homo generant hominem.'

3. Causa simpliciter prima determinat actionem secundarum, non item secundario prima.

§. 4. Causa Efficiens vel est per se vel per accidens. Per se est, ad quam sequitur effectus proprie, et de natura; per accidens, est, cui effectus aliquis adhaeret ex accidente,

estque duplex $\left\{ \begin{array}{l} \text{Fortuna} \\ \text{et} \\ \text{Casus.} \end{array} \right.$

Fortuna est Causa per accidens eorum eventuum, qui aliquo consilio suscipiuntur: ut, si quis, fodiens agrum, inveniat thesaurum.

Casus vero eorum, quae sine consilio: ut si tripes, ab alto cadens, in pedes resurgat.

Causae per accidens agunt extra semper, et frequenter, nec uno certo modo aut fine. Omnis Causa per accidens reducitur ad Causam per se, vel scilicet immediate ad Deum, vel bonos et malos spiritus, vel ad influentias coelestes, vel ad hominum temperamenta et mores, vel denique ad materiae flexibilitatem.

Monstra sunt peccata Naturae, atque effectus per accidens; quum scilicet Natura sit impedita, ut non possit assequi finem suum intentum, producit quod potest.

§. 5. Finis autem est Universalis aut cujusque rei Particularis. Universalis simpliciter et absolute est gloria Dei; secundario vero et secundum quid est decor Universi. Particularis est ad quem unaquaeque res naturalis in suo genere naturaliter tendit.

Natura semper agit propter aliquem finem.

In rebus naturalibus Finis et Forma saepe coincidunt.

Finis primus est in intentione agentis, ultimus in executione.

Quaestiones Capitis Quarti.

1. De quatuor Causarum generibus.
2. An Physicus procedat secundum omnia Causarum genera?
3. De Efficiente Universalis et Particulari.
4. De concursu Universalis Causae ad actionem Particularium.
5. De determinatione actionum Causae secundae a primis.
6. De Fortuna et Casu.
7. De productione monstrorum.
8. An Natura agat propter Finem?
9. De Finali Causa Universali et Particulari.
10. De nobilitate Causae supra Effectum.
11. An Causae sint sibi mutuo Causae?
12. De coincidentia Causarum.

CAP. V.

De Motu et Quietie in genere.

1. Corporis naturalis affectiones sunt quatuor, Motus.
Quantitas.
Locus.
Tempus. §. 1.
Affectiones
Corporis
Naturalis.

2. Motus est actus Entis in potentia, quatenus est in potentia. §. 2.
Motus
Definitio.
Divisio.

Ejus sex sunt species. Quarum duae improprie dicuntur Motus, et sunt potius mutationes, scilicet Generatio et Corruptio. Reliquae quatuor Species, scilicet Augmentatio, Diminutio, Alteratio, et Latio, sive Motus localis, sunt Motus proprie dicti.

Mutatio enim potest esse in instanti, sed Motus proprie dictus, non nisi in tempore. Mutatio potest etiam esse, ubi Terminus alter est negativus. Motus vero proprie dictus requirit ut uterque Terminus sit positivus.

3. Motus reperitur in tribus Praedicamentis Quantitatis, Qualitatis, et Ubi; improprie autem dictus Motus reperitur in Substantia, respectu scilicet Termini sui, non respectu Naturae Motus ipsius, sic n.* omnis Motus est in praedicamento Passionis. §. 3.

* 'sic n.' So in both Editions. Aristotle, Categories, 14. and Natur. Probably for 'sic enim,' i. e. respectu enim Motus ipsius. Compare Auscult. v. 1; 13; 2, 9; vii. 2, 1.

4. Ad omnem Motum requiruntur

quatuor haec,
videlicet { Movens.
 Mobile.
 Terminus a quo.
 Terminus ad quem.

Mobile est corpus naturale, quod movetur subjective, et formaliter. Movens est corpus, quod infert mobili motionem, idque movet effective. Terminus a quo, est illud, a quo primum incipit Motus: Terminus ad quem, in quo ultimo desinit Motus. Movens plerumque dicitur Agens, mobile vero Patiens.

5. Motui opponitur Quies, quae est privatio in corpore habili. Unicuique speciei Motus opponitur species aliqua Quietis. Quies considerari potest, vel ante Motum, et sic est mera privatio Motus; vel post Motum, et sic est ejus perfectio quaedam et veluti Finis.

Motus in genere Theorematum sunt haec :

1. Actio et Passio sunt unus numero Motus.
2. Nihil movetur a seipso, non respectu inchoationis Motus, sed virtutis Agentis.

3. Omne Agens agit { mediatum } contactum
per contactum { vel } virtutis,
 { immediatum, } vel contactum
 suppositi.

4. In omni Motu Termini debent esse oppositi.
5. Omnis Motus proprie dictus fit in tempore.
6. Motus specificatur a suis Terminis, magis a Termino ad quem, quam a Termino a quo.

Quaestiones Capitis Quinti.

1. De numero affectionum Corporis Naturalis.
2. De definitione Motus.
3. De numero Specierum Motus et Mutationis.
4. In Praedicamentis quot reperiantur Motus.
5. An Actio et Passio sint idem numero Motus?
6. An omne quod movetur, movetur ab altero?
7. De continuitate et successione Motus.
8. An omne agens per contactum agit?
9. De specificatione Motus a Terminis suis.
10. De Quietie.

CAP. VI.

De Quantitate et Infinito.

AD Quantitatem corporis naturalis tria haec spectant, Continuitas, Determinatio, et Finitudo.

Continuitas est, qua partes uniuscujusque corporis ita inter se cohaerent, ut communi aliquo termino copulentur, unde fit, ut omne corpus naturale sit divisibile in semper divisibilia.

Determinatio Quantitatis est, per quam omne corpus habet Quantitatem sibi convenientem et proportionatam. Materia prima habet in se Quantitatem indeterminatam; sed accedens Forma determinat illam inter terminos magnitudinis justae et convenientis naturae talis corporis; neque enim potest forma muscae informare materiam elephantis, nec e contra.

Finitudo est, per quam corpus fit finitum; Infinitum enim non datur in natura, actu scilicet, datur tamen potentia. Est enim duplex infinitum potentia, scilicet additione, et divisione; quorum illud reperitur in magnitudine, cui semper aliquid detrahi potest, haec in numero, cui semper aliquid potest addi; sicut enim non datur magnitudo minima, sic nec numerus maximus.

Veteres Philosophi non recte definiebant Infinitum; definiebant enim Infinitum extra quod nihil est; atque, inde decepti, putarunt dari aliquod corpus actu infinitum. Sed Definitio ista non est proprie Infiniti, sed potius perfecti; Infinitum vero proprie est id, quod pertransiri non potest, seu cujus partes si dividantur in ea semper quantitate, ad ejus tamen finem nunquam perveniri potest.

Theorematum de Quantitate corporum.

1. Continuitas est primum accidentis corporis naturalis.
2. Datur maximum et minimum naturale.
3. Non datur corpus actu infinitum.
4. Modus quantitativus in corporibus naturalibus impedit mutuam penetrationem.

Quaestiones Capitis Sexti.

1. De Continuitate corporum naturalium.
2. De determinata Quantitate corporum.
3. An detur actu Infinitum?
4. An sit penetratio corporum?
5. An Materia habeat Quantitatem indeterminatam?
6. De divisione Continui in semper divisibilia.

CAP. VII.

De Loco et Vacuo.

§. 1.
Locus quid. Locus est terminus corporis continentis immobilis primo. Locus immaterialiter est Superficies, et per consequens Quantitas; formaliter autem est in Praedicamento Relationis. Corpus Locus est, quod aliud continet inter superficiem suam concavam. Locatum vero, corpus quod sic continetur.

Definitio haec Aristotelis convenit tantum Loco externo. Est tamen locatio quaedam interna, quae communis est omni corpori naturali. Est autem talis Locus spatium seu intervalum, quod partes uniuscujusque corporis, adeoque ipsum totum occupat.

§. 2.
Divisio. Locus externus est vel communis vel proprius. Communis est, in quo plura corpora continentur, ut, Domus est locus Socratis, &c.

Proprius, qui proxime et immediate ambit ex omni parte unicum corpus locatum.

Estque duplex: vel Naturalis, ad quem locatum suapte natura fertur, et in quo quiescit; vel Violentus, in quem locatum vi compingitur, et in quo non quiescit remoto impedimento.

Locus corporis proprius est duplex, ambiens vel sustinens. Ambiens est, qui corpora undique circumscribit, ut aer globum terrae et aquae. Sustinens est, qui etsi non ambiat ex omni parte locatum, terminat tamen illud ex illa parte, quae alias moveretur.

§. 3.
Vacuum quid. Vacuum est Locus non repletus corpore, corporis tamen capax. Estque Ens solummodo imaginarium; non enim datur

Vacuum tale in rerum natura realiter existens. Ideo multa fiant a naturalibus agentibus propter evitandum Vacuum, quae videri possint alias repugnare naturis eorum.

Theoremata de Loco et Vacuo.

1. Locus non est aliquid de essentia corporis.
2. Locatio interna convenit omni corpori naturali, etiam ultimae Sphaerae, quae non est Loco aliquo circumscriptivo.
3. Locus contiguus est locato, et ei aequalis.
4. Locus habet conservativam locati vim: Locus scilicet naturalis, idque non primario et per se, sed ex contingentibus tantum.
5. Locus naturalis terminat motum corporis, tum quoad exercitium, tum quoad appetitum; violentus vero quoad exercitium tantum.
6. Idem corpus non potest esse in diversis Locis simul, totalibus scilicet; potest enim esse in duobus partialibus, ut pila in aere et in aqua.
7. Duo corpora non possunt esse simul in eodem Loco proprio, licet bene communi.
8. Vacuum imaginarium est principium omnis motus localis, sicut privatio generationis.

Quaestiones Capitis Septimi.

1. De definitione Loci.
2. In quo praedicamento sit Locus.
3. De Loco naturali et violento.
4. De Loco communi et proprio.
5. De Loco ambiente et sustinente.
6. De immobilitate Loci.
7. De Loco et Locatione internis.
8. De aequalitate Loci ad locatum.
9. De vi attractiva Loci et conservativa.
10. An idem corpus possit esse in duobus Locis simul?
11. An duo corpora possint esse in eodem Loco simul?
12. An detur Vacuum?

CAP. VIII.

De Tempore.

§. 1.
Tempus
quid.
Divisio.

TEMPUS est numerus sive mensura motus secundum prius et posterius.

Tempus potest considerari vel respectu motuum coelestium, et sic est numerus numeratus, vel respectu motuum sublunarium, et sic est numerus numerans.

Tempus est in perpetuo fluxu: proinde ejus partes non sunt permanentes, neque unquam sunt in actu praesentes. Partes vero temporis sunt, Praeteritum et Futurum; quarum Praeteritum fuit, et elapsum est, Futurum erit, sed nondum est. Ipsum vero instans, sive nunc, non est pars temporis, sed copulans ejus partes, ut terminus communis.

Theoremata Temporis.

1. Tempus nihil agit, nisi solummodo ex accidente, quo respectu dicitur aliquando esse causa corruptionis.
2. Non datur Tempus minimum sive indivisible.
3. Tempus et Motus se invicem mensurant.
4. Est idem instans in toto Tempore.
5. Tempus confert Motui accidentia quaedam, ut regularitatem et irregularitatem, velocitatem et tarditatem.

Quaestiones Capitis Octavi.

1. De definitione Temporis.
2. De continuitate Temporis.
3. De partibus Temporis et de instanti.
4. An Tempus aliquid agit?

CAP. IX.

De Generatione et Corruptione.

§. 1.
Generatio
quid.

MOTUS sive mutatio secundum substantiam est Corruptio.

Generatio est mutatio a non esse ad esse substantiale, nullo sensibili manente, ut Subjecto. Corruptio vero est a contra, ab esse ad non esse.

§. 2.
Subjectum.

Generationis Subjectum est materia prima; Finis proximus, forma; remotus, conservatio speciei. Causa efficiens est corpus

generans, quod, quando est ejusdem speciei cum composito genito, facit generationem univocam. Ut quum ignis generat ignem, canis canem. Quum vero diversae speciei, facit generationem aequivocam, qualis est illa animalium imperfectorum, quae oriuntur ex putri materia vi siderum.

Theoremata ejus sunt.

1. Generatio et Corruptio sunt idem numero Motus, realiter scilicet non formaliter.
2. Generatio unius est Corruptio alterius.
3. Generatio et Corruptio fiunt in instanti, scilicet quantum ad introductionem et expulsionem Formae, sed non quantum ad praevias dispositiones Materiae.
4. Generatio differt a Creatione, quae est productio substantialis ex nihilo, ut mutatio naturalis a supernaturali.
5. Ex nihilo nihil fit.
6. Non quodlibet fit ex quolibet.
7. Generationis terminus est compositum, non forma. Forma est terminus principalis, compositum adaequatum.

Quaestiones Capitis Noni.

1. De definitione Generationis et Corruptionis.
2. De Generatione univoca et aequivoca.
3. An Generatio fiat in instanti?
4. An Generatio unius sit corruptio alterius?
5. De differentia Generationis a Creatione.
6. De terminis Generationis.

CAP. X.

De Augmentatione, Diminutione, et Alteratione.

MOTUS in Quantitate sunt Augmentatio et Diminutio. Aug- §. 1.
mentatio est motus a minori Quantitate ad majorem. Diminu- Motus
tio vero a majori ad minorem. species.
Augmen-
tatio.
Diminutio.

Aliquando extenuatio dicitur Augmentatio, et condensatio Diminutio.
Diminutio, sed improprie. Extenuatio et condensatio sunt in Qualitate, non in Quantitate.

Augmentatio maxime proprie dicta est illa, quae reperitur in viventibus, et proprie dicitur accretio. Sed illa non est

communis affectio corporis naturalis in genere: proinde non pertinet ad hunc locum, sed ad libros de Anima.

Theoremata Augmentationis et Diminutionis.

1. Augmentatio et Diminutio non sunt solius Materiae, nec solius Formae, sed compositi.

2. Aucti, augmentatione propriissime dicta, quaelibet pars augetur.

3. Augmentatio et Diminutio sunt Motus continui.

Motus in Qualitate dicitur Alteratio, estque mutatio corporis de una Qualitate in aliam sibi contrariam. Ejus tot sunt Species, quot sunt Qualitates ad quas fieri potest mutatio, ut caliditas, densitas, lux, et plurima similia.

§. 2.
Alteratio.

Alterationis Theoremata sunt.

1. Alteratio est Generatio quaedam accidentalis.

2. Alteratio est Motus continuus.

3. Alteratio semper praecedit Generationem, ut quid necessarium ad praeparandam et disponendam Materiam.

4. Alteratio magis sequitur rationem patientis quam agentis.

5. Omnis Alteratio, proprie dicta, tendit ad Corruptionem. Perfectivae enim Alterationes non sunt proprie dictae.

Quaestiones Capitis Decimi.

1. De definitione Augmentationis et Diminutionis.

2. An rarefactio et condensatio sint Motus in qualitate?

3. De continuitate Augmentationis et Diminutionis.

4. An Augmentatio et Diminutio convenienti composito; idque gratia Materiae potius quam Formae?

5. De definitione Alterationis.

6. De Alteratione perfectiva et corruptiva.

7. De continuitate Alterationis.

8. An Alteratio sequatur rationem patientis, potius quam agentis?

CAP. XI.

De Motu Locali.

MOTUS ad *ubi* dicitur Motus localis, sive latio. Est autem latio mutatio corporis a loco in locum. In ista Definitione Locus sumitur non proprie, sed impropre pro *ubi*. Res enim non movetur propter Locum, sed propter esse in Loco, quod est in ipso ubi.

Motus localis alias est naturalis, alias violentus.

Motus naturalis est qui proficit ab interno principio, forma scilicet ipsius corporis; violentus vero qui ab externo: ut Motus lapidis deorsum est naturalis, sursum autem projecti violentus.

Uterque Motus, tum naturalis, tum violentus, vel est simplex, vel complexus sive mixtus.

Motus simplex est, qui est unius tantum rationis, qualis est Motus lapidis. Mixtus vero, qui diversarum, ut Motus progressivus animalium.

Motus simplex vel est rectus vel circularis.

Motus rectus est, quo corpus fertur ad terminum sui linea recta. Estque iterum duplex, secundum diversos terminos ad quem, scilicet Motus sursum et Motus deorsum.

Motus sursum est Motus a medio, ut Motus ignis. Deorsum vero ad medium, ut Motus lapidis.

Motus circularis est, quo corpus fertur circa medium.

Theorematum de speciebus Motus localis.

1. Motus, qui est uni corpori violentus, potest esse alteri naturalis, et e contra.

2. Simplicia corpora moventur uno tantum Motu naturali, eoque simplici.

3. Sola animalia moventur a seipsis, idque Motu misto.

4. In Motu recto, corpus mutat Locum quoad se totum; in circulari, non nisi quoad partes tantum.

5. Motus localis est nobilissima affectio corporis naturalis, et species Motus.

Quaestiones Capitis Undecimi.

1. De definitione Lationis.
2. In quo Praedicamento sit Latio.
3. De continuitate Lationis.

4. De ordine Lationis ad reliquas affectiones corporis naturalis, et species reliquas Motus.
5. De Motu naturali et violento.
6. De Motu simplici et mixto.
7. De Motu recto et circulari.
8. De sex positionum denominationibus, scilicet sursum, deorsum, ante, retro, dextrorsum et sinistrorsum.

CAP. XII.

De Divisionibus Motus Localis.

PRAETER dictas Motus Localis Definitiones, sunt et aliae nonnullae, quae ipsi competit propter externa aliqua conjuncta.

§. 1.
Motus divisionis.
 1. Velox.
 2. Tardus.

Motus aliis est velox, aliis tardus.
 Velox est, qui exiguo tempore perficit magnum spatium.
 Tardus, qui longo spatium exiguum perficit.

Velocis Motus potest esse exemplum, Motus solis diurnus.
 Tardi, Motus ponderum in horologiis. Haec divisio convenit Motui gratia temporis.

Motus aliis est regularis, aliis irregularis.
 Regularis est, qui aequali tempore aequale spatium perficit,
 qualis est Motus Primi Mobilis.

Irregularis, qui aequali tempore inaequale spatium conficit,
 qualis est Motus animalium.

§. 2.
Motus violenti species.
 1. Pulsio.
 2. Tractio.
 3. Vectio.
 4. Circumgyratio.

Motus violenti species sunt quatuor, Pulsio, Tractio, Vectio,
 Circumgyratio.

Pulsio est, quem movens pellit, vel trudit mobile. Quae pulsio sive trusio, si ita fiat ut mobile separetur a movente, expulsio dicitur vel projectio, qualis est Motus sagittae ex arcu emissae, vel lapidis projecti. Quod si ita fiat ut movens adhuc contingat mobile, impulsio dicitur, vel protrusio, qualis est Motus navis impulsae a ventis.

Tractio est, quem movens ad se trahit mobile, sive id fiat contactu corporali, ut si equus trahit currum, vel virtuali tantum, ut quem magnes trahit ferrum.

Vectio est, quem movens super se trahit mobile, ut equus vehens sarcinam.

Circumgyratio, quae et Vertigo, est quum mobile vertitur in gyrum.

Quaestiones Capitis Duodecimi.

1. De Motu tardo et veloci.
2. De Motu regulari et irregulari.
3. De Pulsione.
4. An Motus projectorum sit propter virtutem impressam?
5. De Tractione et Vectione.
6. De Circumgyratione, et an sit mixtus Motus a reliquis?
7. An detur alia species Motus violenti?
8. De reliquis divisionibus Motus.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

De Mundo.

§. 1.
Corpus
naturale in
specie. POST principia et affectiones corporis naturalis in genere, agendum proximo loco de corporibus naturalibus in specie. Ea autem possunt considerari, vel aggregatim universa, vel seorsim singula. Aggregatim efficiunt Mundum.

§. 2.
Mundus
quid. Mundus est ordinata compages Coeli et Elementorum, et quae in illis continentur.

§. 3.
Ejus Mate-
ria et For-
ma. Partes
integrantes,
adornantes. Mundi ergo Materia sunt omnia corpora. Forma pulcher eorum ordo. Coelum et Elementa sunt partes Mundi integrantes; reliqua vero corpora, quae in Coelo et Elementis continentur, sunt partes adornantes.

§. 4.
Affectiones
eius. Mundi affectiones sunt Unitas, Finitudo, Duratio, Figura, et Perfectio. Per unitatem excluditur multitudo, non partium, sed totius aggregati; hoc enim non corporum naturalium, sed ipsius Mundi, qui unus est non continuitate, sed aggregatione.

Finitudo Mundi est, qua Mundi ambitus certis suis finibus ex omni parte terminatur.

§. 5.
Figura. Figura Mundi est sphaerica sive rotunda, unde et Orbis appellationem sortitus est; et hanc ipsam Formam obtinent corpora omnia Mundum integrantia.

§. 6.
Perfectio. Mundi perfectio omnibus modis absoluta est, tum quoad partes, quia extra mundum nihil est; tum quoad gradus, quia ejus partes concinniori ordine disponi non possunt, quam quo dispositae sunt: unde Graece Κοσμός, Latine Mundus, appellatur.

§. 7.
Duratio. Mundi duratio sempiternitas * aptissime dici potest, quia habuit initium simul cum tempore per creationem; nec unquam

* ‘Sempiternitas.’ See the Compendium of Logic, I. xiv. 4. p. 29 of this Volume.

habiturus est finem. Quanquam Mundus dici potest aeternus, vel sine principio, physice loquendo, quia non habuit principium per productionem physicam.

Quaestiones Capitis Primi.

1. De definitione Mundi.
2. De unitate Mundi.
3. De finitate Mundi.
4. De perfectione Mundi quoad partes.
5. De ordine et pulchritudine Mundi.
6. De figura Mundi.
7. De duratione Mundi.

CAP. II.

De natura Coeli.

MUNDI partes sunt corpora naturalia simplicia et mixta. §. 1.
 Quorum simplicia integrant Mundum, mixta ornant. Corpora Mundi partes du-
 simplicia sunt quinque, quorum quatuor sunt generabilia et plures. plices.
 corruptibilia, quatuor nempe elementa. Unum vero ingene-
 rabile et incorruptibile, reliquorum omnium simplicissimum,
 nempe Coelum, quod et praeterea quinta essentia dici potest.

Coelum est corpus naturale, ita simplex, ut sit expers, non mixtionis tantum ex Elementis, sed etiam compositionis ex Materia et Forma, proprie dictis: unde sequitur corpus naturale dici de Coelo et sublunaribus, non univoce sed analogice; et proinde Coelum non habere eadem principia cum inferioribus, nec materiam similis rationis. §. 2. Coelum.

Theoremata de Coelo.

1. Coelum est corpus maximi ambitus.
2. Coelum est corpus solidum, et tamen diaphanum.
3. Coelum est figurae perfecte rotundae.
4. Omnis Coeli motus est circularis.
5. Coelum, ut non est generabile et corruptibile, ita nec alterabile, nec alio quovis Motu mobile, nisi solum locali.
6. Coelum, ut loco, ita dignitate, praecellit sublunaria, praesertim inanimata.

7. Coelum agit in inferiora, lumine, et fortassis influentiis.*
 8. Coelo, secundum Peripateticos, assistunt intelligentiae incorporeae, quae ipsum moveant: propterea nonnullis dictae Formae Coeli assistentes.

Quaestiones Capitis Secundi.

1. An Coelum sit Corpus naturale proprie dictum?
2. An sit eadem Coeli et inferiorum materia?
3. An Coelum habeat formam informantem?
4. De Intelligentiis moventibus Coelum.
5. An Coelum sit ingenerabile et incorruptibile?
6. An Coelum sit alterabile?
7. An sit augmentabile et diminutibile?
8. De motu Coeli circulari.
9. De Coeli magnitudine.
10. De figura Coeli rotunda.
11. De soliditate et perspicuitate ejus.
12. De Coeli praestantia respectu inferiorum.
13. De actione Coeli in inferiora per lumen et motum.
14. An Coelum agat in inferiora per influentias a motu et lumine distinctas?

CAP. III.

De Sphaeris coelestibus non stellatis.

§. 1.
Coeli partes
duae. IN Coelo duo consideranda sunt, Sphaerae et Stellae: quarum Sphaerae sunt partes integrantes Coeli, stellae vero adornantes ipsum.

§. 2.
Sphaera
quid. Est autem Sphaera pars Coeli distincta, figurae rotundae, circumambiens inferiora; et proinde duas habet unaquaeque Sphaera superficies, exteriorem sive connexam, et interiorem sive concavam.

Sphaerae coelestes erant cognitae Aristoteli et veteribus octo tantum, scilicet septem planetarum, et octava Sphaera in qua sunt stellae fixae; proinde octava Sphaera dicitur Primum Mobile illis; sed quum Astronomi recentiores observarunt in octava Sphaera tertium motum distinctum, necessario coacti

* ‘et fortassis influentiis.’ Compare the Compendium of Logic, I. xi.
 §. 5. 4. p. 22 of this Volume.

sunt duas alias Sphaeras illa superiores agnoscere. Sunt itaque omnino decem Sphaerae, quarum suprema, quae decima dicitur, atque etiam nona, sunt stellarum expertes, reliquae octo sunt stelliferae.

Primum Mobile est Sphaera decima omnium amplissima, ^{§. 3.} ^{Primum} Mobile. cursum suum conficiens velocissimo motu ab ortu ad occasum quatuor et viginti horarum spatio: ejus motus efficit diem naturalem, unde et motus diurnus dicitur in reliquis orbibus inferioribus, quos secum consimili motu rapit ab ortu in occasum eodem spatio quatuor et viginti horarum. Et hic effectus motus Primi Mobilis tam coelestibus, quam sublunaribus, dicitur raptus Primi Mobilis.

Omnis Circuli imaginarii, quos Astronomi statuunt in Coelo ^{§. 4.} ^{Circuli} imaginariorum docendi causa, intelligendi sunt de Primo hoc Mobili: quales sunt Horizon, Meridianus, Aequator, Zodiacus, et duo Coluri, qui sunt omnes circuli majores, una cum minoribus duobus &c, Tropicis, et duabus circulis Polaribus, quorum omnium cognitio est astronomiae considerationis.

Nona Sphaera est, cuius superficies convexa contigua est decimae Sphaerae; concava vero ambitu suo complectitur Sphaeram octavam, sive Sphaeram stellatam. Haec Sphaera duplum habet motum: diurnum velocissimum et raptum Primi Mobilis ab ortu in occasum quatuor et viginti horarum spatio, et proprium tardissimum ab occasu in ortum: qui absolvitur secundum alios 49000, secundum alios vero 25816 annorum spatio; et hic proprius motus nonae Sphaerae est mensura anni, quem vocant magnum sive Platonicum.

Quaestiones Capitis Tertii.

1. An Sphaerae coelestes sint reales vel imaginariae?
2. An Sphaerae sunt Coeli partes, potius quam species?
3. De numero Sphaerarum coelestium.
4. De motu Primi Mobilis.
5. De raptu Primi Mobilis.
6. De Sphaera nona.
7. De Magno Anno.

CAP. IV.

De Sphaeris stellatis.

§. 1.
Sphaera
stellata.

SPHAERA stellata est vel fixarum vel errantium stellarum.

Fixarum est unica tantum, quae dicitur Sphaera octava, vel firmamentum, vel simpliciter Coelum stellatum, quia habet in se plurimas stellas: quum in reliquis septem inferioribus Sphaeris sit unica tantum stella, hoc est, in singulis singulæ.

Sphaera octava est, quae plurimis stellis, iisque fixis, decorata continet intra superficiem suam omnes Sphaeras planetarum et Mundum sublunarem.

§. 2.
De Motu
Sphaerae.

Haec Sphaera triplici motu movetur, quorum duo sunt externi, sive alieni, tertius vero proprius atque internus.

Motus alienus, qui est in Sphaera octava, vel est diurnus ille motus, quem habet a raptu Primi Mobilis, vel est tardior motus, quo trahitur ab occasu in ortum a Sphaera nona.

Motus ejus proprius est, qui fit a septentrione ad meridiem, super circulos quorum poli sunt distincti a polis Mundi; et hic motus dicitur trepidationis, vel etiam motus accessus et recessus.

§. 3.
Ordo Pla-
netarum.

Reliquæ septem Sphaerae sunt Sphaerae planetarum, quae hoc ordine disponuntur: septima et a terra remotissima est Sphaera Saturni: hanc sequitur Sphaera Jovis, post illam Martis, deinde Solis, proxime Veneris, tum Mercurii, omnium novissima et infima Lunæ. Harum omnium numerus et ordo hoc versu continentur.

Post SIM SUM sequitur, ultima Luna subest.

§. 4.
De Motu
Planeta-
rum.

Harum singulae singulas habent stellas erraticas, a quibus et cognomina sua sortiuntur. Motus vero singulae habent binos, diurnum scilicet ab ortu in occasum ex raptu Primi Mobilis, quem singulae conficiunt eodem spatio quatuor et viginti horarum; et proprium ab occasu in ortum, quem diversis spatiis conficiunt; sed longiori, ut quaeque superior est; breviori, ut inferior. Saturni periodus est 29 annorum 5 mensium et 15 dierum: nota ejus astronomica est $\frac{1}{2}$. Periodus Jovis est annorum undecim 10 mensium et dierum fere 16: ejus nota est $\frac{3}{4}$. Martis periodus est 2 annorum: nota ejus $\frac{1}{2}$. Solis periodus est unius anni, hoc est, 365 dierum

et 6 fere horarum: ejus nota ☽. Veneris periodus, ut et Mercurii, fere eadem cum Solis periodo. Nota Veneris ♀, Mercurii ♂. Lunae periodus est 27 dierum et horarum plus minus $\frac{12}{8}$; ejus nota ☽.

Quaestiones Capitis Quarti.

1. De octava Sphaera, ejusque triplici motu.
 2. De Sphaera Saturni
 3. De Sphaera Jovis
 4. De Sphaera Martis
 5. De Sphaera Solis
 6. De Sphaera Veneris
 7. De Sphaera Mercurii
 8. De Sphaera Lunae.
- Qui sunt Domini

Capricorni et Aquarii.

Sagittarii et Piscium.

Arietis et Scorpionis.

Leonis.

Tauri et Librae.

Geminorum et Virginis.

Cancri.

CAP. V.

De Stellis in genere.

PARTES Coeli adornantes sunt Stellae.

Est autem Stella densior pars sui orbis. In qua Definitione, §. 1.
densitas, quae Stellis attribuitur, non est qualitas ex mistione Stella quid.
primarum qualitatum elementarium, sicut est densitas corporum
sublunarium; sed dicit solummodo materiae coelestis multitudinem, sive copiam in angustius spatium coactae.

Stellarum qualitas praecipua Lux est, quae propterea §. 2.
dicitur qualitas simpliciter prima; primae qualitates enim, Earum Qualitas.
elementorum sunt primae, non simpliciter, sed in suo genere.
Est autem lux in corpore Solis, tanquam in fonte, a quo deri-
vatur in reliquas Stellas, quae mutuantur a Sole vel omnem
vel saltem plurimum.

Stellae moventur ad motum orbium sive Sphaerarum qua-
rum sunt: unde fit, ut omnes Stellae octavae Sphaerae servent
perpetuo eandem inter et a se distantiam. At Stellae septem
inferiorum Sphaerarum, propterea quod sunt in Sphaeris diver-
sorum motuum, non semper servant eandem a se distantiam:
qua de causa dicuntur Stellae erraticae, sive planetae.

Stellarum congeries dicitur astrum, vel sidus, vel signum Astrum
coeleste. Ad distinguendas enim Stellas, et ut cognoscatur a quid.

qua parte coeli Stella quaelibet locetur, coacti sunt Astronomi eas in classes quasdam distribuere, quas astra vocant, easque singulas nominibus insigne animalium, aliarumque rerum, quarum similitudinem ex parte prae se ferant.

Quaestiones Capitis Quinti.

1. De definitione Stellae.
2. De luce Stellarum.
3. De motu Stellarum.
4. De Constellationibus.

CAP. VI.

De Signis Zodiaci.

§. 1.
Astrorum
divisio. ASTRA, sive Signa coelestia, sunt, vel Australia, vel Septentrionalia, vel Media.

Media sunt duodecim, quae vulgo duodecim Signa appellantur, suntque inter Aequinoctiale et Tropicos in circulo illo imaginario, quem Zodiacum vocant; dicuntur autem media, quia intra Zodiacum spatium contineantur, quod oblique secat aequatorem, medium scilicet imaginarium coeli.

Imagines, sive Signa Zodiaci, sunt partim Septentrionalia, partim Meridionalia.

§. 2.
Septentrionalium Signorum nomina. Septentrionalia sunt, quae in Septentrionali hemisphaerio Zodiaci signantur. Suntque sex: Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo. Quorum Aries habet stellas 12 formatas, praeter 5 informes. Taurus habet stellas 33, quarum maxime conspicua una in fronte, quae dicitur oculus Tauri. Gemini habet 18; Cancer 9; Leo 10, vel secundum antiquos 27. Virgo denique 26.

§. 3.
Australium Signorum nomina. Signa Zodiaci Australia sunt reliqua sex, scilicet Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces.

Quorum Libra habet stellas 8, Scorpius 21, Sagittarius 31, Capricornus 28, Aquarius 42, Pisces 34.

Horum omnium numerus, ordo, et oppositio in Zodiaco hoc disticho continentur,

♈ ♀ ♊ ♋ ♌ ♍
Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo

♎ ♑ ♏ ♎ ♓ ♔
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

In priori versu Septentrionalia signa, eorumque ordo designatur, in posteriori Meridionalia. Quae omnia ita disponuntur, ut uni Septentrionali unum Meridionale opponatur, scilicet Arieti Libra, et sic de reliquis.

Horum signorum, Capricornus, Aquarius, Pisces, Aries, Taurus, Gemini, dicuntur ascendentia, eo quod in iis planetae a Meridie ascendant in Septentrionem; reliqua 6 descendantia, quia in iis planetae descendunt a Septentrione versus Meridiem.

Horum etiam, Aries, Taurus, et Gemini, sunt signa verna; Cancer, Leo, Virgo, aestiva; Libra, Scorpius, Sagittarius autem autumnalia; Capricornus, Aquarius, et Pisces, hyberna.

Ratione effectuum, alia sunt ignea, quorum operationes sunt calidae et siccae, ut Aries, Leo, Sagittarius; alia aëria, quorum operationes sunt calidae et humidae, ut Gemini, Libra, Aquarius; alia aqua, quorum operationes sunt humidae et frigidae, ut Cancer, Virgo, Pisces; alia denique terrea, quorum operationes sunt frigidae et siccae, ut Taurus, Scorpius, Capricornus.

Quaestiones Capitis Sexti.

1. De numero signorum Zodiaci.
2. De eorum divisione in Signa { Septentrionalia.
 Meridionalia.
3. De Signis Vernis.
4. De Aestivis.
5. De Autumnalibus.
6. De Hybernis.
7. De divisione Signorum ratione effectuum.
8. De Signis ascendentibus et descendantibus.

CAP. VII.

De Signis Septentrionalibus.

^{§. I.} **SIGNA SEPTENTRIONALIA** sunt Signa, quae in Septentrionali Hemisphaerio extra Zodiacum signantur, sive quae a Polo Arctico quae. ad aequinoctialem; suntque numero 20. Eorum Nomina et Ordo his quatuor versiculis continentur.

Ursa, deinde Draco, Cepheus, Bootesque, Corona,
Hercles, et Lyra, Olor, tum Cassiopeia, Perseus,
Auriga, Anguitenens, Serpens, Aquila, atque Sagitta,
Pegasus, Hinnulus, Andromede, Delphinque, Trigonum.

Ursa Minor habet septem stellas, cujus septima in extremo caudae dicitur Stella Polaris, quia Polo Arctico vicinissima. Secundo, Ursa Major habet 27 stellas, quarum septem, quod referunt formam plaustri, dicuntur Plaustrum sive Quadriga, Graecis etiam Ἐλική.

Tertio, Draco habet stellas 31. Quarto, Cepheus habet stellas 11. Quinto, Bootes vel Arctophylax sive Bubulcus habet 22 stellas, inter cujus crura micat stella informis admodum lucida, quae Arcturus dicitur. Sexto, Corona Ariadnes habet stellas octo. Septimo, Hercules, sive Engonasis *, habet stellas 28. Octavo, Lyra, Testudo, sive Chelys habet decem stellas. Nono, Cygnus, Olor, sive Gallina, habet 12 stellas. Decimo, Perseus habet 26 stellas. Undecimo, Auriga sive Ericthonius habet 26 stellas. Duodecimo, Anguitenens, Serpentarius, sive Ophiuchus habet 24 stellas. Decimo tertio, Serpens Ophiuchi habet 18 stellas. Decimo quarto, Aquila sive Vultur habet 9 stellas. Decimo quinto, Sagitta sive telum habet 5. Decimo sexto, Pegasus sive Equus major habet 20 stellas. Decimo septimo, Hinnulus, Equiculus, sive Equus minor habet 4 stellas. Decimo octo, Andromede habet 23 stellas. Decimo nono, Delphinus habet 10 stellas. Viginti, Triangulum habet 4 stellas: dicitur Graecis Δέλτωτον.

Quaestiones Capitis Septimi.

1. De numero Signorum Septentrionalium.
2. De Ursa Minore.
3. De Ursa Majore, et de singulis singulæ.

* See Cicero, *De Natura Deorum*, ii. 108.

C A P. VIII.

De Signis Meridionalibus.

SIGNA Australia sive Meridionalia sunt, quae in Australi ^{§. 1.}
Hemisphaerio extra Zodiacum conspicuntur; suntque Veteribus ^{Signa}
partim cognita, partim incognita: cognita Veteribus sunt quin-
decim, quorum numerus et ordo hisce versiculis continentur:

Caetus, et Eridanus, Lepus, et nimbosus Orion,
Sirius, et Procyon, Argo ratis, Hydra, Craterque,
Corvus, Centaurus, Lupus, Ara, Corollaque, Piscis.

Primo, Caetus sive Balaena habet stellas 22. Secundo,
Eridanus, Fluvius, sive Nilus habet 34 stellas. Tertio, Lepus
habet 12 stellas. Quarto, Orion habet 38 stellas, quarum
quae in ore est splendissima Sirius dicitur, unde tota haec
Constellatio per syncedochen sic dicitur. Quinto, Procyon,
sive Canis minor, sive Canicula, duas habet stellas. Sexto,
Argo, sive Navis habet 45 stellas. Septimo, Hydra habet
25 stellas. Octavo, Crater, Urna, sive Poculum Apollinis, habet
7 stellas. Nono, Corvus habet septem stellas. Decimo, Chiron,
sive Centaurus habet 37 stellas. Undecimo, Fera sive Lupus
habet 19 stellas. Duodecimo, Ara sive Thuribulum habet 7
stellas. Decimo tertio, Corona Australis habet 13 stellas.
Decimo quarto, Piscis Australis habet 12 stellas.

Signa a Veteribus incognita et a Recentioribus observata, ^{§. 2.}
sunt Columba Noe, Grus, Phoenix, Triangulum Australe, ^{Signa Veteribus incognita.}
Chameleon, Piscis volans, Nubeculae duae, Pavo, Avis Indica,
Indus homo, Toucan avis, Hydrus, Piscis alias, Dorado dictus.

In omnibus Signis, tam Australibus quam Septentrionalibus,
sunt quaedam Stellae formatae, quaedam vero aliae informes.
Stellae formatae sunt, quae ad ipsas imagines sive Signa
pertinent. Informes, quae non sunt proprie aliquarum im-
aginum, sed extra ordinem toto coelo sparsae et disseminatae
sunt, unde et Σπόραδες Graece appellantur.

Stellarum sporadicarum ingens multitudo, confertim extensa
ab Euro-australi parte coeli Boream versus, longo spatio illam
partem coeli nonnihil lucidiorem efficit: unde a colore sub-
lacteo ea pars coeli Galaxia dicitur, sive Via Lactea, vel etiam

Circulus Lacteus. Quem etsi cum Veteribus Aristoteles elementaris materiae existimaverit, atque meteoris annumeraverit, est tamen de materia coelesti, et ex indistincta luce plurimarum, veluti diximus, sporadicarum stellarum natus.

Quaestiones Capitis Octavi.

1. De numero Australium Signorum Veteribus cognitorum.
2. De Caeto &c. et sic de singulis.
3. De Signis a Recentioribus observatis.
4. De Stellis sporadicis.
5. De Galaxia.
6. De numero Stellarum formatarum.
7. De distinctione Stellarum quoad sex gradus magnitudinis.

C A P. IX.

De quatuor Elementis.

§. 1.
Elementa
quae.

COELUM sequuntur Elementa, quae simplicia Entia sunt, licet non in eodem gradu simplicitatis quo Coelum. Elementa enim simplicia dicuntur prout simplicitas opponitur mistioni, non prout opponitur compositioni. Elementa autem singula sunt ex materia et forma composita, et proinde generabilia et corruptibilia.

§. 2.
Eorum
numerus.

Elementa sunt quatuor. Ignis, Aér, Aqua, Terra, quae omnia, prout respiciunt mistum, dicuntur Elementa, sed in se considerata corpora simplicia dicuntur, et non Elementa.

§. 3.
Definitio.

Elementum enim vocabulum relativum est, et dicit respectum ad ea, quae ex Elemento oriuntur. Est autem Elementum corpus simplex ex materia et forma corruptibili constans, ex quo per mistionem fit corpus mixtum, et in quod per corruptionem resolvitur.

§. 4.
Qualitates
eorum du-
plices.

Elementorum singulorum natura ex qualitatibus optime dignoscitur. Etsi enim primae qualitates non sint formae Elementorum essentiales, sunt tamen effectus immediati formarum, et velut instrumenta, per quae formae exercent suas operationes.

Formae.

Formae substantiales Elementorum sunt eorum actus primi, per quos actu sunt quod sunt. Qualitates autem actus secundi, per quos actu agunt et operantur.

Qualitates Elementorum aut primae sunt, aut a primis ortae, Qualitates. quae solent dici et secundae. Primae sunt quatuor, Calor, Frigus, Humiditas, et Siccitas.

Calor est qualitas tactilis apta nata congregare homogenea, §. 5. et separare heterogenea. Calor.

Frigus est qualitas apta nata congregare sine discriminē Frigus. heterogenea et homogenea.

Humiditas est qualitas, per quam subjectum facile terminatur Humiditas. alieno termino, difficulter suo.

Siccitas, quae reddit subjectum aptum ut facile terminetur Siccitas. termino suo, difficulter alieno.

Ex his Calor et Frigus sunt qualitates magis activae, Humiditas et Siccitas passivae. Quatuor hae qualitates ita convenient singulis Elementis per quasdam combinationes, ut singulis Elementis duae qualitates combinatae reperiantur, una scilicet activa et altera passiva, quarum una in quolibet Elemento est in summo gradu, altera in remissiore, sed tamen excellenti; et quae qualitas in uno Elemento est in summo gradu, in remissiore gradu eadem semper qualitas Elemento proxime inferiore reperitur. Sunt combinationes quatuor hae, Caliditas et Siccitas, Humiditas et Caliditas, Frigiditas et Humiditas, Siccitas et Frigus.

Ignis est Elementum Coelo proximum, calidissimum et sic- §. 6. Ignis. cum. Ignis est natura sua levissimus et subtilissimus.

Aér est huic proximus, et loco et levitate: Elementum Aér. humidissimum et calidum.

Aqua aere gravior est, et inferior: Elementum frigidissi- Aqua. mum et humidum.

Terra, omnium infima, gravissima et solidissima, est Ele- Terra. mentum sicciissimum et frigidum.

Ignis et Aér suas habent peculiares sphaeras. At Aqua et Terra propter commoditatem animalium conficiunt unum globum.

Unicuique Elemento convenit motus unicus et simplex, isque rectus. Ignis et Aér, quum sint Elementa levia, moventur a medio, sive sursum. Aqua vero et Terra, quum sint gravia, ad medium, sive deorsum. Sed Ignis velocius movetur quam Aér, et Terra quam Aqua.

Ignis tamen et Aér et Aqua, praeter motum suum proprium et naturalem, moventur etiam motu circa medium per raptum

Primi Mobilis ab ortu in occasum; sed quidque ex illis remisius, quanto remotius a Coelo est.

§. 7.
Elementa sunt transmutabilia.

Elementa sunt invicem transmutabilia, ita ut ex quolibet Elemento quodlibet aliud est generabile, etiam immediate; sed in habentibus symbolum facilior est transitus, quam in asymbolis. Ea autem dicuntur habere symbolum, quae in altera primarum qualitatum convenient; Asymbola, quae in neutra. Ut Ignis et Aër sunt symbolica, quia eorum utrumque est calidum. Ignis vero et Aqua asymbola, quia habent utrasque qualitates contrarias. Ex duobus Elementis asymbolicis potest virtute propria generari quodvis tertium, ut ex Aqua et Igne Aër vel Terra; at ex symbolicis non potest.

§. 8.
Qualitates eorum secundae.

Qualitates Elementorum secundae sunt praecipue quatuor, Levitas, Gravitas, Raritas, et Densitas, quae singulae oriuntur ex quodam temperamento primarum Qualitatum immediate.

Levitatis. Levitas est, per quam corpus fit aptum ad movendum sursum.

Gravitas. Gravitas, per quam fit aptum ad movendum deorsum. Caliditas et Humiditas conferunt ad Levitatem; Frigiditas et Siccitas ad Gravitatem. Quodlibet Elementum quo superius est, eo levius: gravius quo inferius.

Raritas. Raritas est, per quam partes extensa corporis occupant majus spatium.

Densitas. Densitas, per quam partes corporis contractae occupant angustius spatium. Rara vero etiam tenuia dicuntur et subtilia. Densa vero spissa et crassa. Elementum quodlibet superius rarius est Elemento proxime sibi inferiore, idque decupla fere proportione: unde dici solet unum pugillum Aquae mutari in decem pugillos Aëris.

Quaestiones Capitis Noni.

1. De definitione Elementi.
2. De numero Elementorum.
3. De quatuor primis Qualitatibus.
4. De divisione Qualitatum primarum in Activas et Passivas.
5. De Caliditate et Frigiditate.
6. De Qualitatibus secundis in Elementis.
7. De Levitate et Gravitate.

8. De Raritate et Densitate.
9. De Motu simplici Elementorum.
10. De Motu Elementorum adventitio.
11. De Igne et ejus qualitatibus.
12. De Aëre et ejus qualitatibus.
13. De Aqua et ejus qualitatibus.
14. De Terra et ejus qualitatibus.
15. De dignitate Elementorum.
16. De Elementorum transmutatione.
17. De transitu inter Elementa symbolica faciliore.
18. An ex duobus Elementis asymbolis possit virtute propria generari quodvis tertium?

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

De Mistione in genere.

§. 1.
Mistionis
Definitio.

CORPORA mixta sunt, quae ex Elementorum mixtione resultant. Est autem Mistio miscibilium alteratorum unio. Miscibilia sunt ipsa Elementa; illa autem uniuntur gratia primarum Qualitatum, quae per mutuam actionem et passionem restringantur, et ad quandam debitam proportionem redigantur. Non ergo Formae Elementorum substantiales, sed et Qualitates tantum aequae refractae manent in mixto.

§. 2.
Quomodo
fit.

Mixtionis maximum momentum cernitur in Qualitatum passivarum contemperatione; humidi scilicet et siccii; idque per actionem caloris et frigoris, et maxime caloris. Nulla enim mixtio est aequalis ad pondus: quia tum praedominium esset nullius Elementi in mixto, et consequenter nullus motus. Quum omnis motus misti sequatur rationem Elementi prae-dominantis.

§. 3.
Corruptio
mistri est
Putredo.

Corruptio misti fit multis modis; sed nobilissima et communissima species est Putredo, quae est violatio caloris naturalis in corpore vel subjecto humido, per actionem caloris in cor-pore ambiente: ejus affines sunt Caries et Mucor.

§. 4.
Mistorum
affectiones.
Tempera-
mentum.

Mistorum corporum affectiones communes sunt, Temperamentum et Color. Temperamentum oritur ex debita proporcione Qualitatum primarum; elementariumque requiritur prae-dominium, aut unius tantum Qualitatis super reliquas tres, aut duarum super reliquas duas. Color oritur ex debita proportione lucis et opacitatis, sive ex mistione lucidi et opaci Elementi, quatenus talia sunt.

§. 5.
Color quid.
Ejus species.

Color est extremitas perspicui in corpore opaco. Coloris species nobilissimae sunt, Albedo et Nigredo, quae dicuntur colores extremi. Albedo est color ortus ab excessu lucidi,

disgregans visum. Reliquae species dicuntur medii colores, e quibus perfecta Rubedo est aequalis ad pondus, respectu lucidi et opaci, albi et nigri.

Viridis vero, et flavus, et caeruleus ad alterum extremorum magis accedunt.

Quaestiones Capitis Primi.

1. De definitione Mitionis.
2. An formae Elementorum maneant in Mistis?
3. De forma Misti.
4. An detur Mistum aequale ad pondus?
5. De Temperamento.
6. De motu Misti secundum Elementum praedominans.
7. De Putredine.
8. De definitione Coloris.
9. De Albedine, et Nigredine.
10. De Coloribus mediis.

CAP. II.

De Meteoris Igneis.

CORPORA mista alia sunt imperfecte mista, alia perfecte. Imperfecte sunt in quibus Elementa ad justam aliquam proportionem non reducuntur; et Meteora dicuntur, ob formam scilicet externam, quia pleraque eorum conspicuntur in sublimi aëre. §. 1. Corpora mista.

Meteora omnia sunt vel terrea vel aquea. Materia dicitur Vapor aut Exhalatio, quarum Exhalatio calidior et siccius est, elevata a terra potissime virtute Solis et Siderum. §. 2. Meteora. Eorum materia.

Meteora Ordinaria, quae fiunt ex causis naturalibus et fine ordinario, sunt proprie Physicae considerationis. Contingunt tamen effectus extraordinarii saepe in his imperfecte mistis, qui scilicet vel excedunt vim causarum naturalium, aut in finem extraordinariam efficiuntur; et hujusmodi Meteora non pertinent ad Physicum, nisi per accidens. §. 3. Meteora Ordinaria.

Meteora Naturalia aut sunt realia, quae id ipsum sunt, quae esse videntur; aut apparentia tantum, quae Phasmata et Imagines dicuntur. Realia sunt vel Ignea, vel Aërea, vel Aquæa. §. 4. Meteora Naturalia.

§. 5. Ignea Meteora sunt, quoties exhalatio aliqua sicca, aut Ignea quae. propria sua agitatione, aut attritu partium, aut vi siderum, aut per antiperistasis incenditur.

Ignea aut sunt $\left\{ \begin{array}{l} \text{suprema} \\ \text{media} \\ \text{infima} \end{array} \right\}$ parte aëris.
vel in

Suntque alia exhalationis purioris, ut reliqua omnia; vel exhalationis impurioris, ut Cometa et Fulmen.

§. 6. In suprema regione aëris ignita Meteora purioris exhalationis sunt. **Meteora aërea.** Fax, Trabes, Caprae saltantes, Jaculus ardens, Scintillae volantes. In media sunt, Stella cadens, Lancea ardens. In infima, Draco volans, Ignis fatuus, Ignis lambens.

§. 7. Meteora ignita impurioris exhalationis, in quibus materia crassior est propter admisionem vaporis, sunt Cometa et Fulmen. Quorum Cometa propter copiam materiae permanentior est, et in suprema aëris regione generatur; habetque varios effectus, quorum partim causa est, partim signum prognosticum. Unde fit ut Cometae sint universalis observationis inter ignita Meteora, sicut Terrae motus inter aërea. Fulmen ob materiae paucitatem cito dissipatur, generaturque in suprema aëris regione, ex exhalatione vaporosa, impura, nubi inclusa, atque in ea incensa; unde rarefacta exitum molitur cum fragore, qui fragor Tonitru dicitur; sicut micatio flammæ, quando erit Fulgor, dicitur Coruscatio: hujus etiam varios imminere ferunt effectus.

Quaestiones Capitis Secundi.

1. De Meteoris in genere.
2. De Meteorum fine.
3. De Vapore et Exhalatione.
4. De Meteoris ignitis in suprema aëris regione.
5. De ignitis in media regione.
6. De ignitis in infima regione.
7. De Cometis.
8. De Fulmine, Fulgure, et Tonitru.

CAP. III.

De Meteoris Aëreis.

METEORA Aërea dicuntur, quae in aëre dissolvuntur, fiuntque ^{§. 1.} Meteora cum vehementi impulsu instar aëris moti; suntque duo, Ventus aërea. et Terrae motus. Quorum Ventus fit in aëre libero, Terrae vero motus in aëre visceribus terrae inclusus.

Ventus est exhalatio copiosa e terra excitata, et per reper- ^{§. 2.} Ventus cussionem ab occurrente frigido in media aëris regione deorsum quid. acta cum impetu.

Venti Cardinales sunt quatuor, 1º. Eurus, sive Subsolanus, ^{§. 3.} Ventorum qui ab oriente spirat, estque calidus et siccus. 2º. Auster, qui nomina. a meridie flat, calidus et humidus. 3º. Zephyrus, Notus, qui ab occidente flat, frigidus et humidus. 4º. Aquilo sive Boreas, qui a Septentrione flat, frigidus et siccus.

His quatuor Cardinalibus alii adjunguntur plures, quorum terminus et initium est inter quatuor mundi cardines.

Praeter istos, sunt alii Venti peculiares, aut ratione motus, temporis, aut locorum.

Venti peculiares ratione motus, Erratici dicuntur, quia non ex certo aliquo termino oriuntur, sed motu vario et incerto feruntur, quales sunt Prester, Ecnephias, Turbo: quorum Prester, omnium violentissimus, velut ignem admistum habet; Ecnephias vero et Turbo sunt repentinae et turbulentiae sine igne vel pluviosis.

Venti peculiares ratione locorum, Provinciales dicuntur, quia ^{§. 5.} Provincia certis provinciis appropriantur: quales sunt Circius, in Gallia les. Narbonensi: Carbasus, * in Cicilia: Iapyx, in Calabria: Olym pias, in regionibus Olymbo vicinis.

Venti peculiares ratione temporum, Stati dicuntur et Anniversarii, quia quotannis et statim temporibus spirant, quales sunt Etesiae et Chelidoniae: quorum Etesiae circa Caniculae ortum incipiunt, et quadraginta plus dies spirant; Chelidoniae vero circa veris initium et adventum hirundinum: utriusque a Septentrione flant, et quidem leviter.

Terrae motus est exhalatio sive spiritus terrae visceribus ^{§. 7.} Terrae inclusus, qui quum exitum nec parat nec invenit terram agit atione concutit.

Tres sunt ejus species, Tremor, Pulsus, et Hiatus. Tremor ^{§. 8.} Ejus spe cies.

* Isidor. Hispal. de Natura Rerum, cap. 37.

est, quo agitatur terra ad latera. Pulsus, quo terra sursum ac deorsum jactatur. Hiatus, quo terra hiscit in voraginis morem.

Effectus Terrae motuum sunt varii, et plerumque maligni, sicut et Cometarum : unde fit, ut ex effectibus naturalibus ista duo a plerisque observentur.

Quaestiones Capitis Tertii.

1. De Ventis in genere, eorumque generatione.
 2. De Subsolano.
 3. De Austro.
 4. De Zephyro.
 5. De Aquilone.
 6. De Ventis Erraticis.
 7. De Ventis Statis.
 8. De Ventis Provincialibus.
 9. De Terrae Motuum generatione.
 10. De speciebus Terrae Motus.
 11. De duratione Terrae Motum.
 12. De prognosticis Terrae Motus.
 13. De effectibus Terrae Motus.
- } et collateralibus.

CAP. IV.

De Meteoris Aqueis.

§. 1.
Meteora
Aquea.

METEORA Aquea sunt, quae ex vapore vi frigoris constricto generantur. Generantur autem Meteora Aquea pleraque in aëris regione media et infima ; pauca etiam in visceribus Terrae.

§. 2.
Eorum spe-
cies.

In media aëris regione Meteora aquæ sunt Nubes, et quae ex nubium dissolutione generantur, Pluvia, Nix, Grando.

§. 3.
Nubes.

Nubes est vapor humidus et crassus, qui in media aëris regione propter frigiditatem illius regionis constrictus pendet. Nubes aliquando steriles sunt, quae in aërem mutantur, vel ob tenuitatem suam a ventis aut Sole dissipatae; foecundae vero aut in pluviam, nivem, aut grandinem resolvuntur.

§. 4.
Pluvia.

Pluvia est aqua in terram decidens, e nube a calore Solis resoluta ; quae, si minutioribus guttulis decidat et levis, dicitur Imber ; si grandioribus et cum impetu, Nimbus. Contingit

aliquando Pluvia prodigiosa, quum pluit lacte, sanguine, ranis, aut lapidibus; cuiusmodi effectuum causae possunt quandoque esse naturales, plerumque tamen sunt supernaturales.

Nix generatur ex nube resoluta vi Solis, non tamen perfecte ^{§. 5.}
in aquam congelata tenuatur inter descendendum. Albedo
nivis partim frigiditati ascribenda est, partim aëriis partibus
nudis.

Grando fit ex nube jam resoluta in aquam, et inter descen- ^{§. 6.}
dendum acrius constricta; idque vel infima parte mediae
regionis aëris, vel suprema parte infimae regionis. Nix non
contingit nisi temporibus frigidis et hyemalibus, Grando vero
quovis anni tempore.

Meteora Aquea in infima regionis parte, sunt Ros, Pruina,
Nebula, Glacies.

Ros fit a vapore non procul a terra elevato, et densato ^{§. 7.}
frigiditate nocturna, qui tenuissimas resolutus in partes in et ^{Ros quid.}
terram decidit: qui idem tempore frigido congelatus fit
Pruina.

Ros aliquando pinguior cadit, qui Manna dicitur, aut Mel;
habetque saporem dulcem, sed noxiū et pecoribus et herbis.

Nebula est vapor densior et copiosior, a sole excitatus, in ^{§. 8.}
imo aëre et frigore nonnihil condensatus, unde proximum aërem
obscurat. Nebula plerumque a Sole oriente vel occidente
excitatur, durat tamen quandoque per totos dies temporibus
frigidis.

Glacies est aqua in superficie terrae congelata, potissimum a ^{§. 9.}
frigore aëris ambientis, adjuvante tamen nonnihil concretione ^{Glacies.}
terrena.

In visceribus terrae generantur Fontes, quorum effectus sunt ^{§. 10.}
Flumina; idque secundum Aristotelem, ex aëre in terrae ^{Fontes,}
cavernis collecto, et ex frigore tandem in aquam converso;
quumque tanta copia accesserit, ut locis in quibus generantur
contineri nequeant, opportunis locis erumpunt, nisi potius
existimandum sit Fontes ex Mari pervenisse per occultos quos-
dam in terra meatus.

Quaestiones Capitis Quarti.

1. De Meteoris Aqueis in genere.
2. De Nubibus.
3. De Pluvia communi.

4. De Pluvia prodigiosa.
5. De Nive.
6. De Grandine.
7. De Rore et Pluvia.
8. De Nebula.
9. De Glacie et Gelu.
10. De Fontibus et Fluminibus.

CAP. V.

De Meteoris Apparentibus.

§. 1. METEORA Apparentia sunt, quae sub specie aliqua cum figura a nobis conspiciuntur, sine tamen aliqua reali existentia in natura.
Meteora Apparentia.

§. 2. Species nobiliores sunt, Chasma, Iris, et Galaxia. Ignobiliores vero multae aliae, ut Virgae, Halo, Parhelius, Paraselenes, et Colores Nubium.
Eorum Species.

§. 3. Chasma est cum coelum quasi dehiscens apparet: dicitur, si sit grandius, proprio Chasma sive Hiatus; sin minus, Fovea. Fit Chasma ex exhalatione densa, in summa aëris regione, inflammatis partibus ejus extraneis et rarioribus, mediis vero propter densitatem non inflammatis: unde cavitas quaedam apparet instar foveae. Apparent Chasmata nocte plerumque serena.
Chasma quid.

§. 4. Iris est arcus multicolor apprens in nube rorida et concava, ex reflexione radiorum Solis oppositi. Colores praecipui Iridis sunt, 1º. Puniceus, in parte ejus suprema. 2º. Viridis, in parte media. 3º. Caeruleus, in parte adhuc interiore. Nonnunquam etiam ex commistione Punicei et Viridis, quartus conspicitur, Flavus. Significat plerumque pluviam naturaliter, quia non apparet nisi in nube rorida, quae in pluviam facile dissolvi possit. Supernaturaliter tamen et ex instituto divino significat pluviarum modum futurum, ne terra in posterum diluvio pereat.
Iris.

§. 5. Galaxia est lucidus quidam candor, vel circulus, ut hic sumitur, sereno coelo conspicuus, ortus ex radiis minutissimorum stellarum, quae in coelesti Galaxia sunt, in nubem tenuem incidentibus.
Galaxia.

§. 6. Virgae sunt lineae rectae, a Solis radiis in nubem aquosam dissimiliter raram incidentibus ortae; suntque signa pluviarum.
Virgae.

Halo est circulus sparsus circa Solem aut Lunam, quandoque ^{§. 7.} Halo quid. et alias majores stellas, ortus ex refractione radiorum in nube.

Parhelius est imago Solis expressa in nube aliqua densa juxta ^{§. 8.} Parhelius. latus ejus, ita ut videamur plures aspicere Soles. Sed unus realis est in proprio suo orbe, reliqui apparentes in nube.

Paraselene est imago Lunae ex causa consimili. ^{§. 9.}

Colores Nubium sunt qui effinguntur in nubibus, a Sole vel ^{§. 10.} Paraselene. Luna illuminatis; suntque illi potissimum quatuor, Albus, Niger, ^{Nubium} colores. Rubens, et Viridis.

Quaestiones Capitis Quinti.

1. De Phasmatis et Meteoris apparentibus in genere.
2. De Chasmate.
3. De Iride.
4. De Galaxia.
5. De Virgis et Halone.
6. De Parhelio et Paraselene.
7. De Coloribus Nubium.

CAP. VI.

De Metallis.

CORPORA perfecte mixta sunt, in quibus elementa ad justam aliquam et constantem proportionem rediguntur. Eaque sunt ^{§. 1.} Corpora perfecte mixta. aut animata aut inanimata. Inanimata sunt aut Metalla, Lapidès, aut Terræ pretiosæ, seu Succi.

Metallum est corpus perfecte mistum, in venis Terræ, e ^{§. 2.} Metallum quid. sulphure et argento vivo ortum.

Materia Metallorum proxima, sunt sulphur et argentum vivum: quorum sulphur ortum habet ex exhalatione pingui et ^{§. 3.} Eorum Materia quae. terrestri; argentum vivum ex vapore magis aqueo. Causa efficiens remota est calor coeli et elementorum; propinqua vero, frigus terræ, quod materiam a calore praeparatam condensat.

Generantur Metalla in venis vel gremio terræ, sed prae- ^{§. 4.} Ubi generantur. cipue inter lapides, et in locis montanis.

Metalla specificè distinguuntur secundum suos colores, vires, et usus.

§. 5.
Metalla
puriora.
Aurum.

Metalla puriora, in quibus scilicet decoctio est sulphuris et argenti vivi magis exquisita, sunt Aurum et Argentum.

Aurum praedominium habet sulphuris rubei purissimi; est omnium metallorum nobilissimum, tenuissimum, gravissimum, et corruptu difficillimum; habetque prae reliquis Metallis odoris et saporis praestantiam.

§. 6.
Argentum.

Argentum est Metallum ex argento quidem vivo puriore praecipue conflatum.

§. 7.
Metalla
Impuriora.

Impuriora sunt reliqua Metalla, quorum alia plus habent humoris sive argenti vivi, alia plus terrae sive sulphuris. Plus habet Argenti vivi Stannum, Plumbum album et nigrum; sulphuris, Aes, Chalybs, et Orichaleon.

§. 8.
Lapides
quid.

Lapides sunt corpora perfecte mixta, ex sicca exhalatione per calorem contemperata, et frigore terrae concreta, suntque Vulgares vel Pretiosi. Lapides Vulgares crassioris sunt naturae; Pretiosi, purioris aut tenuioris.

§. 9.
Vulgares.

Lapides Vulgares aut sunt porosi, ut Tophus et Pumex; aut solidi, quorum variae sunt species: praecipuae sunt Marmor, Silex, Cos, Saxum.

§. 10.
Pretiosi,
eorum Spe-
cies.

Lapides Pretiosi, sive Gemmae, praeter puritatem materiae et nitorem et elegantiam, viribus etiam conspicuae sunt; quarum aliae sunt nobilissimae, aliae minus nobiles.

Nobilissimae sunt, Adamas, Smaragdus, Sapphirus, Jaspis, Hyacinthus, Amethystus, Chalcedonius, Chrysolithus, Achates, Topazia, Onyx, Sardus, Rubinus, Carbunculus: minus nobiliores sunt, Crystallus, Corallium, Succinum, Perla, aliaeque plurimae.

§. 11.
Terra pre-
tiosa.

Terrae pretiosae, sive succi, sunt corpora perfecte mixta, mediae cujusdam naturae inter metalla et lapides: harum aliae sunt liquidae aliae non liquidae.

Liquidae sunt, Vitriolum, Alumen, Bitumen, et Sal.

Non liquidae sunt, Auripigmentum sive Arsenicum, Sandara-cha, Calx, Gypsum, Creta, Ochra, Argilla, Terra Lemnia, Terra Armenia.

Quaestiones Capitis Sexti.

1. De Mineralibus et Metallis in genere.
2. De Sulphure.
3. De Argento vivo et Mercurio.
4. De Auro et Argento.

5. De Plumbo et Stanno.
6. De Aere, Ferro, Chalybe, et Aurichalco.
7. De Lapidibus in genere.
8. De Topho et Pumice.
9. De Lapidibus solidis.
10. De Gemmis et Lapidibus pretiosis.
11. De Gemmis nobilioribus.
12. De Gemmis minus nobilibus.
13. De Vitriolo et Alumine.
14. De Bitumine.
15. De Sale.
16. De reliquis Terris pretiosis.

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

De Plantis in genere.

§. 1.
Corpora
Sensibilia.

§. 2.
Planta
quid.

§. 3.
Quomodo
generantur
et corrumpuntur.

CORPORA animata sunt, aut Insensibilia, ut Plantae; aut Sensibilia, ut Animalia.

Planta seu Stirps est corpus perfecte mixtum, vegetanti anima praeditum. Communes affectiones Plantarum sunt, actus immediati animae vegetantis, qui tamen convenient animalibus; facultas scilicet nutrix, auctrix, et generatrix.

Generantur Plantae e terra, vivuntque et vigent per calorem cum humido temperatum, quem ex terra attrahunt per radices suas. Corrumptur autem Plantae realiter ob defectum humidi a calore absumpti progressu temporis; quae Corruptione dicitur Ariditas. Praeternaturaliter corrumptur, scilicet aut nimio extremo frigore calorem naturalem extinguente, vel calore humidum exhauste, et consequenter calorem ob defectum pabuli. Corruptione partialis quarundam Plantarum a vi externa dicitur Sideratio.

Plantae oriuntur aut sponte, aut industria artis. Quae sponte oriuntur,

ex semine nascuntur, vel

ex semine nascuntur, vel	<p>Proprio, homogeneo, et manifesto, ut in Salictis.</p> <p>Occulto, et analogo, ut multa herbarum et fructuum genera, quae non sata proveniunt.</p>
-----------------------------	--

Industria hominum propagantur multae, vel scilicet radice in terram depressa, ut Glycyrrhiza, vel surculo in terram fixo, ut Vitis, et haec propriae dicitur Propagatio; vel surculo in trunco Plantae insito, et dicitur Insitio; vel denique folio terrae infosso, ut in paucissimis quibusdam.

§. 4.
Earum par-
tes.

Plantarum partes Organicae, per quas scilicet anima vegetans perficit operationes suas, aut sunt principales, aut minus principales.

Principales aut sunt perennes, quae perpetuo manent eadem, Principales.
aut anniversariae, quae quotannis et statis temporibus renas-
cuntur. Perennes sunt, radix, caulis, medulla, et ramus.

Radix est infima pars plantae in terra defixa, quae nutri- §. 5.
mentum omnibus partibus suppeditat per fibras quasdam. Radix quid.

Caulis, sive caudex, vel truncus, est ea pars Plantae, qua a §. 6.
radice surgit supra terram, et alimentum ad reliquas Plantae Caulis quid.
partes defert.

Medulla est pars Plantae interna humidior, in medio caulis §. 7.
latitans. Medulla quid.

Rami sunt partes Plantae, quae a caule tanquam brachia in §. 8.
multitudinem diffunduntur. Ramus quid.

Partes anniversariae sunt surculus, flos, et fructus. Minus

Partes minus principales sunt cortex et folia. Cortex est §. 9.
velut tunica quaedam ex fibris contexta, cauli et ramis super- Cortex
inducta contra coeli intemperiem. quid.

Folia sunt quasi excrementa Plantarum, ex humore et fibris §. 10.
constantia, conservationi praesertim et florum et fructuum Folia.
destinata.

Quaestiones Capitis Primi.

1. De causis Plantarum.
2. De facultate nutrice.
3. De facultate auctrice.
4. De facultate generatrice.
5. De corruptione Plantarum.
6. De propagatione Plantarum.
7. De partibus Plantarum.

CAP. II.

De Plantarum Generibus.

VARIAE sunt Plantarum divisiones ex accidentibus sumptae : §. 1.
ut ex solo, aliae sunt Terrestres, aliae Aquatiles. Plantarum
rursus vel Urbanae vel Agrestes. Terrenae genera.

Urbanae dicuntur, quae sine cultura humana aut non pro- Urbanae.
veniunt, aut infeliciter : sunt quae in hortis aluntur Flores et
Arbores.

Agrestes. Agrestes sunt quae cultura humana non indigent, ut Herbae et Arbores quae in sylvis et campis aluntur.

Aquatiles. Aquatiles sunt quarum ortus est in aquis, sive mari, sive rivis, sive fontibus.

Aliae rursus felicius nascuntur in locis calidis, aliae frigidis; umbrosis aliae, aliae apricis; saxosis aliae, aliae arenosis, &c.

**§. 2.
Distinguuntur foecunditate,
temperamento.** A foecunditate, fructificantes semel in tota vita, aliae frequentius, rariusque aliae; semel tantum in anno aliae, aliae bis, terve, aut plus.

A temperamento, aliae sunt calidae, aliae humidae, aliae frigidae, aliae siccae; idque primo, secundo, tertio, aut quarto gradu: quod potissimum observant Medici propter Plantarum vires in operando, scilicet qualitates earumque gradus.

Aliae etiam sunt Plantarum divisiones; tempore germinationis et fructificationis, modo crescendi, et vitae brevitate et diuturnitate, effectis particularibus, sympathia et antipathia earum et ad invicem et cum aliis corporibus, et aliunde desumptae.

**§. 3.
Sunt vel** Potissima tamen divisio est secundum quam omnes Plantarum species ad quasdam suas classes et genera ducuntur: aliae sunt perfectae, aliae imperfectae.

Perfectae. Perfectae dicuntur, quae praecipuas Plantarum partes, radicem scilicet et superficiem, evidenter distinctas habent.

**Earum
genera.** Perfectarum tria sunt genera, Arbor, Frutex, Herba: quarum Arbor et Frutex caulem habent perennem, Herbae vero aut caulem non habent, aut non perennem. Arbor magnitudine differt a frutice, habetque caulem simpliciter a radice pullulanem. Frutex arbore minor est, habetque caulem multiplicem; qui si sit tenuior, crenium dicitur, sive suffrutex, ut Rosa, Salvia: sin crassior, frutex, ut Avillana: qui major si fuerit, per abscissionem stolonum in arborem transire potest. Herba arbore et frutice minor est, quae plerumque caule caret, et folia statim a radice mittit: aliquando caulem habet, sed exiguum, et molle, et non perennem.

**Imperf-
fectae.** Plantae imperfectae sunt, quarum aut superficies aut radix inevidens est, ut Tubera, Fungi, Viscum.

Quaestiones Capitis Secundi.

1. De Plantarum divisione ex natura soli.
2. De variis Plantarum divisionibus ex accidentibus de-
sumptis.
3. De Arboribus.
4. De Fruticibus et Suffruticibus.
5. De Herbis.
6. De Plantis imperfectis.

CAP. III.

De partibus Animalium.

ANIMAL est corpus animatum sensibile. Animal, praeter ^{§. 1.} affectiones quae sunt communes ipsi cum Planta, habet quas- ^{Animal}
dam proprias affectiones, ^{quid.}

Facultatem scilicet { Sensitivam, tum { externam,
{ Locomotivam, internam,

ad omnia sensitiva perfluentes, a quibus etiam profluunt diversi actus secundi, ut somnus et vigilia, respiratio, sagacitas, et alii, ad quos omnes debite exsequendos destinatae sunt suis usibus partes organicae in singulis Animalium speciebus pro peculiari ratione proprietarum animarum.

Partes Animalis sunt, aut Contentae, ut humores et spiritus; ^{§. 2.}
aut Continentes, ut reliquae partes. ^{Ejus partes.}

Humor est pars corporis fluida, in spatiis ejus contenta, ^{§. 3.} necessaria ad ejus conservationem. Qui congenitus corpori ^{Humor}
ipsique toti a prima conformatio[n]e insitus, dicitur Radicalis ^{quid.}
vel Primigenius humor, pabulum caloris naturalis, a quo quum quotidie absumatur, necesse est ut reparetur alimentis; sicque reparatus humor Adventitius dicitur. Estque vel Primarius
vel Secundarius.

Primarii humores sunt quatuor. Sanguis et Pituita, qui duo ^{§. 4.}
maxime faciunt ad nutritionem; et Bilis flava seu Cholera, vel ^{Ejus divisio-}
Atra Bilis sive Melancholia, qui sunt humores magis excre- ^{in prima-}
mentarii.

Sanguis est humor calidus et humidus, et respondet aëri. Sanguis.
Pituita frigidus et humidus, et respondet aquae. Cholera est

calidus et siccus, et respondet igni. Melancholia, frigidus et siccus, et respondet terrae.

Secunda-
rium.

Humores secundarii sunt simpliciter excrementitii, qui per concoctionem secundam aut tertiam secernuntur ab humoribus primariis; et sunt tres, serum, quae est materia urinae; sudor, et lachrymae; aliisque nonnulli minoris notae.

§. 5.
Spiritus
quid.

Spiritus est substantia pertenuis, instar vaporis, in corpore; estque primum animae instrumentum ad functiones obeundas in corpore. Spiritus insitus et primigenius est per totum corpus diffusus, et velut sedes caloris naturalis; in cuius subsidium influit spiritus adventitius. Estque triplex, Naturalis, Vitalis, et Animalis.

§. 6.
Ejus divisio.

Naturalis ex puro sanguinis parte in jecore procreatur, inservitque actionibus naturalibus. Vitalis ex naturali spiritu et aere inspirato in corde generatur; inservitque actionibus vitalibus. Animalis ex Vitali generatur in cerebro, inservitque actionibus animalibus. Naturalis est in venis, Vitalis in arteriis, Animalis in nervis.

§. 7.
Partes con-
tinentes
quae.

Partes continentes sunt similares aut dissimilares; suntque similares aut spermaticae, quae immediate generantur ex semine, aut carnosae, quae ex sanguine generantur.

Spermaticae, sunt, ossa, cartilago, ligamenta, membrana, nervi, arteriae, vena, fibrae, adeps, cutis: ad carnosas partes pertinet muscularum caro.

Partes dissimilares et proprie organicae sunt, quae ex similaribus compositae diversam habent substantiam. Suntque vel externae vel internae.

§. 8.
Partes ex-
ternae.

Externae sunt, caput, truncus, et artus.

Capitis partes sunt cranium, in quo cerebrum continetur, dividiturque in tres quasi regiones, suturis distinctas; et facies, cuius partes iterum sunt oculi, aures, nasus, genae, et os.

§. 9.
Truncus.

Truncus constat ex parte anteriore, quae rursus aut superior est, et pectus dicitur, aut inferior, et venter dicitur; et posterior, et dorsum dicitur.

Artus sunt manus, pedes, et partes quae illas trunco copulant.

§. 10.
Partes in-
ternae.

Partes Internae sunt, quae in ventribus contentae ab externis partibus teguntur. Continentur illae vel in ventre infimo, vel medio, vel supremo.

In ventre infimo continentur membra deservientia tum nutri-

tioni, tum generationi. Nutritioni deserviunt oesophagus, ventriculus, et intestina, respectu primae concoctionis; respectu secundae, hepar, quod elaborat utile alimentum, et vesicula, lien, renes, et vesica, quae excrementum inutile evehunt. Generationi inserviunt vasa seminalia, testiculi, et pudenda. Haec omnia membra dicuntur organa naturalia.

Venter medius ab infimo distinguitur diaphragmate: in ventre medio continentur cor et pulmo, quae sunt membra vitalia.

In supremo ventre continetur Cerebrum: quod est principale membrum facultatum animalium.

Quaestiones Capitis Tertii.

1. De facultate sensitiva et locomotiva.
2. De Ossibus.
3. De Cartilagine, Ligamentis, et Membranis.
4. De Nervis, Arteriis, et Venis.
5. De Fibris, Adipe, et Cute.
6. De Carne, et Musculis.
7. De Capite, et Cranio.
8. De Oculis.
9. De Auribus.
10. De reliquis partibus Faciei.
11. De Thorace, et Ventre.
12. De Dorso.
13. De Manibus.
14. De Pedibus.
15. De Oesophago, Ventriculo, et Intestinis.
16. De Hepate.
17. De Vesicula, et Liene.
18. De Renibus, et Vesica.
19. De Membris generationi inservientibus.
20. De Corde.
21. De Pulmone.
22. De Cerebro.

CAP. IV.

De Speciebus Animalium.

§. 1.
Animalia
rationis
expertia.

ANIMALIA omnia, praeter hominem, sunt rationis expertia; quorum alia aliis perfectiora sunt. Animalia ea perfecta censentur, quae corpus habent integrum sine caesura, et sanguine praedita sunt. Suntque Terrestria aut Aquea.

§. 2.
Terrestria
quae &c.

Terrestria dicuntur, quae extra aquam in terra degunt, aut victum ex terra petunt: Aquea, quae in aquis. Animalia Terrestria aut Gressibilia sunt aut Volatilia; Gressibilia, aut Quadrupedia aut Reptilia.

Quadrupedia sunt quae quatuor pedibus incedunt, habentque easdem fere partes et organa praecipua cum homine. Quadrupedes aut oviparae sunt aut viviparae. Oviparae sunt quae ova pariunt, ex quibus Animalia tandem excluduntur; ut Ranae, Lacertae, Stelliones, aliaeque paucae viviparae, quae perfectum animal primo partu edunt. Vivipararum multae sunt species, et divisiones variae; aliae enim sunt ferae, aliae cicures et mansuetae: aliae multos foetus edunt, quae plerumque sunt multifidae, ut Canis: aliae paucos, quae aut solidipedes sunt, quae plerumque cornibus carent, ut Equus; aut Bisulcae, quae plerumque sunt Cornutae.

§. 4.
Reptilia
quae.

Animalia Reptilia sunt, quae humi repunt, et convolvendo sese promovent, ut omnia genera Serpentium et Vermium. Omne genus Reptilia sunt ovipara.

§. 5.
Volatilia
quae.

Volatilia sunt quae, alis praedita, volatu in aëre utuntur. Suntque omnia Bipedia, destituunturque renibus et vesica, unde fit ut exiguo potu contenta sint, nec urinam emittant. Variae sunt distributiones Volatilium, sed potissima sumitur a vietu; aliae enim carnibus vescuntur, ut aves praedatoriae, quae plerumque unguibus praeditae sunt aduncis, ut aquila, et genera accipitrum; aliae vermis; aliae denique herbis et frugibus e terra natis.

§. 6.
Aquea
quae.

Aquea Animalia, ut in aquis degunt, ita aquae naturam et temperamentum induunt, ut Pisces. Pisces aliqui vivos pariunt foetus, ut Cete, et Delphines; sed plurimi ova generant, quae aquis fovenda committunt. Pisces pulmone carent, et aspera arteria: proinde nec vocem edunt, nec spiritum. Pisces aut

cutem habent asperam, aut levem, aut testaceam. Qui asperam habent cutem sunt perfectissimi, ut balaena, lucius, et sanguine praediti. Reliqui sunt imperfectiores, ut loligo, cancer.

Aqueis enumeranda sunt, quae Amphibia dicuntur, quod ^{§. 7.} partim in terris, partim in aquis degunt: sive sint Quadrupedia ^{Amphibia quae.} ut crocodilus, hydra, et ranarum aliqua genera: sive Reptilia, ut natrix: sive volucria, ut mergus. Ista animalia vitam ut plurimum in aquis agunt, sed cum terrestribus in eo convenient, quod pulmones habent et respirant.

Animalia Imperfecta sunt, quorum corpora divisa videntur: ^{§. 8.} unde et Imperfecta dicuntur. Ista sanguine carent, nec respi- ^{Animalia Imperfecta.} rant; possuntque ex putrida materia generari. Imperfectorum alia sunt pennata, alia pennis carentia. Pennata quaedam binas habent pennas, quaedam quaternas. Pennis carentia, aut humi gradiuntur, ut formicae, locustae; aut prorepunt, ut vermes.

Quaestiones Capitis Quarti.

1. De variis Brutorum differentiis.
2. De Quadrupedibus in genere.
3. De Quadrupedibus Oviparis.
4. De Quadrupedibus Multifidis.
5. De Solidipedibus.
6. De Bisulcis et Cornutis.
7. De Reptilibus.
8. De Avibus in genere.
9. De Avibus rapacibus.
10. De Avibus domesticis.
11. De Avibus mediae naturae.
12. De Animalibus aqueis in genere.
13. De Piscibus perfectioribus.
14. De Piscibus imperfectioribus.
15. De Amphibiis.
16. De Animalibus imperfectis in genere.
17. De generatione Animalium ex putrida materia.
18. De Insectis pennatis.
19. De Insectis impennatis.
20. De Zoophytis.

CAP. V.

De Homine.

§. 1.
Hominis
excellentia.
RESTAT animal Rationale, Homo; nam anima non solum intellectiva, sed et variis corporis dotibus reliquis naturalibus longe nobilior.

§. 2.
Eius ma-
teria.
Materia corporis humani est semen patris cum sanguine materno: conceptum enim semen in utero materno, per vim prolificam incipit post paucos dies formari in foetum, et membra interna primum ex eo detinere, nempe hepar, cor, et cerebrum: ita ut primo organa formentur naturalia, postea vero animalia.

§. 3.
Foetus.
Foetus in utero materno nutritur sanguine, idque per umbilicum. Efformatur autem citius mas quam foemina.

Mas tertio fere die a conceptione; foemina vero non ante quartum; quo tempore credibile est animam primum infundi, quum prius embryo diceretur, potius quam infans.

§. 4.
Quo tem-
pore movet
Infans.
Infans efformatus in utero non statim moveri propter imbecillitatem cerebri et mollitatem nervorum. Sed moveri incipit mas, ad finem tertii mensis post conceptionem; foemina quarti. Infantis absoluta effigatio post quinque et quadraginta dies evenit, secundum versus,

Sex in lacte dies, ter sunt in sanguine terni,
Bis seni carnem, ter seni membra figurant.

§. 5.
Partus
tempus.
Partus post conceptionem tempus non est certo definitum, regulariter tamen et ut plurimum fit completis novem mensibus: aliqui nascentes etiam undecimo mense, alii etiam septimo aut octavo; et septimestris partus solet esse vitalis, octomestris vero nunquam aut perraro. Ante septimum mensem editus abortivus est.

Quaestiones Capitis Quinti.

1. De nobilitate Hominis in comparatione ad alias creaturas naturales.
2. De semine, et vi ejus prolifica.
3. De menstruis.
4. De conceptione seminis.
5. De formatione foetus in utero.
6. De partu.

CAP. VI.

De Anima in genere.

CORPORIS animalis Forma Anima dicitur; quae, quoniam ^{§. 1.} diversae rationis est a reliquis formis mere naturalibus, specia- ^{Corporis} lem in sua natura considerationem postulat; de qua agit Aristoteles in libris de Anima, et opusculis quae Parva Naturalia dicuntur.

Anima est actus primus corporis organici vitam habentis in ^{§. 2.} potentia. ^{Anima quid.}

Dicitur actus primus ad discriben actuum secundorum, qui non sunt formae dantes esse corpori organico, sed facultates vel potentiae consequentes formam. Dicitur autem 'organici,' quia omne corpus animatum habeat necesse est distincta membra et quasi organa, per quae anima suas exerceat operationes. Dicitur 'Vitam habentis in potentia,' quia primus effectus animae in corpore organico est vita.

Anima est simpliciter nobilior omnibus aliis formis naturali- ^{§. 3.} bus. Unde et 'Omne animatum est nobilior coelo.' ^{Anima aliis formis nobilior.}

Unius corporis una tantum est anima. Anima non tollit formam mixti in corpore animato, neque destruit operationes ejus.

Anima est expers quantitatis; proinde nec divisionem patitur nec extensionem.

Quaestiones Capitis Sexti.

1. De subjecto et ordine Librorum de Anima.
2. De definitione Animae.
3. De nobilitate Animae supra alias formas naturales.
4. De unitate Animae in uno corpore.
5. De consistentia Animae cum forma misti in eodem corpore.
6. De indivisibilitate Animae.

CAP. VII.

De Facultatibus et Effectis Animae vegetantis.

ANIMAE Vegetantis Facultates sunt tres, nutrix, auctrix, et ^{§. 1.} generatrix. ^{Animae Vegetantis facultates tres.}

Facultas nutrix sive altrix est, qua nutrimentum in corporis viventis substantiam convertitur, in reparationem ejus quod

§. 2.
Nutrix.

deperditur. In omni nutritione est nutriens, scilicet Anima, et ejus instrumentum, calor naturalis; aliquid nutritum, corpus scilicet vivens; et aliquid, quo nutritur, alimentum scilicet externum. Omne vivens animal, dum vivit, nutritur.

§. 3.
Ei subservientes.

Nutritioni variae inferiores serviunt facultates; ut scilicet concoctrix, qua alimentum receptum vi caloris naturalis subigitur et alteratur, cuius species sive gradus sunt, elixatio, maturatio, assatio. Secundo, attractrix, qua alimentum debite concoctum per meatus convenientes in membra derivetur. Tertio, retentrix, qua alimentum conservatur in locis idoneis, donec debite alteretur et secernatur. Quarto, expultrix, qua alimenti partes minus nutritivae a nutritivis secretae expelluntur, ne corpori noceant. Natura magis sedula est in expellendis nocivis, quam in attrahendis aut retinendis utilibus.

§. 4.
Auctrix
quae.

Facultas auctrix est, qua corpus vivens ex nutritione extenditur in omnes dimensiones, donec ad justam et debitam magnitudinem perveniat. Auctrix ab altrice differt, sine ea tamen non est. Omne corpus vivens requirit certam quandam magnitudinem corporis ad exercendas actiones perfectae suaे speciei convenientes. Proinde tamdiu durat accretio, donec corpus extendatur ad determinatam a natura quantitatem; eaque acquisita cessat. Aucti quaelibet pars augetur.

§. 5.
Generatrix
quae.

Facultas generatrix sive procreatrix est, qua corpus vivens per vim prolificam in semine generat sibi simile. Sicut nutrix facultas ordinatur ad conservationem individui, sic generatrix ad conservationem speciei.

Facultates inferiores subservientes procreationi, sunt alteratrix, qua semen disponitur et praeparatur ad recipiendam formam suaे speciei debitam; et formatrix, qua semen atque ex semine ortum paulatim effigiatur secundum distincta organa.

§. 6.
Vita quid.

Actus sive affectio Animae Vegetantis dicitur Vita, quae est actus animae corporisque per conjunctionem utriusque.

In quo
consistit.

Vita consistit in legitima temperie primarum qualitatum, praesertim caloris et humoris radicalis. Unde dici solet, Vitam consistere in calido et humido.

Ad longitudinem et brevitatem vitae multa conferunt, ut imprimis naturale temperamentum, tum etiam coelestium corporum influentiae, qualitas regionis, solis et aëris temperies, aliaque nonnulla, de quibus Medici.

§. 7.
Vitae aetas-
tes.

Vitae variae sunt aetas, certis quasi periodis distinctae, in

quibus naturalis temperies corporis ordinarie evidentem aliquam mutationem subit. Quales sunt, Infantia, Pueritia, Pubertas, Adolescentia, Juventus, Aetas consistens, et Senectus. Omnes aetatum species ad tres periodos reduci possunt; quarum prima comprehendit spatium a primo ortu, donec cessat accretio. Secunda spatium a cessante accretione usque ad evidentem declinationem functionum et virium vitalium in corpore. Tertia quod exinde est ad mortem usque.

Vitae privatio Mors dicitur, quae est cessatio functionum animae in corpore propter utriusque dissolutionem. Mors naturalis dicitur, quae contingit ex assumptione humoris radi- calis a calore naturali, qui defectu idonei pabuli et ipse etiam deficit. Mors violenta est, quum extinguitur calor ex accidente aliquo, cuiusmodi sunt plurimi.

§. 8.
Mors quid.
Ejus spe-
cies.

Quaestiones Capitis Septimi.

1. De Facultate Nutrice, et Nutritione.
2. De Concoctione.
3. De reliquis Facultatibus inservientibus Nutritioni.
4. De Facultate Auctrice.
5. De Facultate Generatrice.
6. De Vita.
7. De Causis longitudinis et brevitatis Vitae.
8. De varia Aetatum ratione.
9. De Aetatibus durante accretione.
10. De Juventute et Aetate consistente.
11. De Senectute.
12. De Morte in genere.
13. De Morte naturali.
14. De Morte violenta.

CAP. VIII.

De Sensu, et Sensibili in genere.

ANIMAE Sentientis tres sunt Facultates; sensitiva, app-
titiva, locomotiva.

Facultas sensitiva est, qua animal percipit objecta sensibilia,
ut salutaria sequi possit, et noxia declinare. Facultas haec

§. 1.
Animae
sentientis
Facultates.

§. 2.
Facultas
sensitiva.

potissimum residet in spiritibus animalibus, pendetque potissimum a nervis, in quibus sunt spiritus.

Ejus Ob-
jectum.

Objectum Sensationis per se aut Commune est aut Proprium.

Sensibilia Communia sunt, quae non proprie objiciuntur alicui particulari Sensui, sed a pluribus communiter percipiuntur: qualia enumerantur a Philosophis quinque ista, Motus, Quies, Magnitudo, Numerus, et Figura.

Sensibilia Propria sunt, quae ab uno tantum Sensu percipiuntur; ut Colores Visu, &c. Sensibilia per accidens possunt esse quaevis accidentia, quae in eodem subjecto reperiuntur, in quo reperiuntur Sensibilia per se, atque etiam ipsum subjectum.

§. 3.
Ad Sen-
sationem quot
requi-
runtur.

Ad rectam Sensationem requiruntur nonnulla ex parte Sensibilis; et primo, debita proportio respectu gradus; Excellens enim Sensibile corruptit Sensem. Secundo, situs conveniens respectu organi unde visus potest decipi, si quid objiciatur oculis non secundum rectam lineam. Tertio, justa distantia ab organo. Quarto, justa mora temporis; quae enim subito feriunt Sensus, et momento quasi praetervolant, aut leviter aut nihil eos afficiunt.

§. 4.
Sensus.

Sensus est et potentia activa, et passiva, magis tamen passiva; Sensatio enim fit per receptionem specierum sensibilium in organum; agit tamen Sensus suo modo, dum species sic receptas percipit et judicat. Objecta sensibilia non incurruunt in Sensus secundum substantiam suam, sed secundum imagines quasdam intentionales ipsa repraesentantes, quas imagines species sensibles vocant. Sensus non potest falli circa proprium objectum, positis requisitis conditionibus ex parte organi sensorii.

§. 5.
Organa
quae.

Organa et media quae recipiendis speciebus sensibilibus destinantur, sunt partes quaedam corporis a natura efformatae et in eum usum donatae; quare et Sensoria dicuntur.

Ad rectam Sensationem requiritur ex parte organi, ut sit integrum, illaesum, et recte dispositum.

§. 6.
Sensorium
commune.

Organum sive Sensorium commune Peripatetici statuerunt cor; sed Medici postea, experientia magistra, rectius docuerunt cerebrum illud esse, quum nervos a cerebro oriri non a corde constat. Propria vero organa, quae cuilibet Sensui sunt peculiaaria, ut oculus visui, &c, Sensorium dicitur esse vacuum ea qualitate quam percipere debet, alias non potest esse Sensatio; 'Intus enim apparet prohibet alienum.'

Inter Sensorium et Sensibile ^{§. 7.} necesse est ut interveniat aliquod Medium, per quod Objectum deferatur ad organum; et Sensibile sine enim tali medio non potest fieri Sensatio, juxta illud ^{Sensorium requirunt medium.} Aristotelis,* Sensibile positum supra sensorium non facit sensationem.

Ad debitam Sensationem requiritur, ex parte medii, ut sit conveniens objecto, et naturaliter se habens, nec aliena aut qualitate aut proportione immutatum. Unde visio impeditur, si aér intermedius aut tenebrosus sit, aut alieno colore imbutus.

Quaestiones Capitis Octavi.

1. De Facultate Sensitiva in genere.
2. De Sensibilibus communibus.
3. De requisitis ad Sensationem ex parte Objecti.
4. De Sensu agente et paciente.
5. De Speciebus Sensibilibus.
6. De infallibili Sensuum judicio.
7. De principali membro sive Sensorio.
8. De requisitis ad Sensationem ex parte organi.
9. De necessitate Medii ad Sensationem.
10. De requisitis ad Sensationem ex parte Medii.

CAP. IX.

De Sensibus externis.

SENSUS alii sunt externi, alii interni. Externi sunt, qui in exteriore parte corporis residentes, objecta externa eaque tantum praesentia percipiunt; suntque numero quinque, Visus, ^{§. 1.} ^{Sensuum divisio et numerus.} Auditus, Olfactus, Gustus, et Tactus; quorum Gustus et Tactus sunt simpliciter ad esse animalis, reliqui tantum ad bene esse. Visus tamen omnium nobilissimus est, quia potissimum conductus ad cognitionem. Visus et auditus in homine sunt Sensus λογικώτατοι.

Visus est sensus, quo quid potentia aspectabile fit actu ^{§. 2.} ^{Visus quid.} aspectabile. Objectum Visus sunt lumen et colores. Lumen ^{Lumen.} est actus diaphani, qua diaphanum est. Corpora autem lumenosa sive lucida, aut simplicia sunt, ut coelum, aér, aqua; aut solida, ut vitrum, crystallus, &c. Color est extremitas per- ^{§. 3.} spicui in corpore terminata. Medium visionis, per quod color ^{Color quid.}

* De Anima, III. xiii. 6.

§. 4.
Visionis
medium.
Ejus orga-
num.
Quomodo
fit.

ad organum fertur, est corpus perspicuum. Organum visus est oculus, ea praesertim ejus pars, quae humor crystallinus dicitur; ministri vero visionis sunt nervi optici in oculo, et spiritus animales in iis contenti. Visio fit intus, receptione specierum ab objecto in oculos, non autem emissione radii, aut luminis, aut cujusque alterius rei ab oculo ad objectum.

§. 5.
Auditus
quid.

Auditus est Sensuum post Visum nobilissimus, et maxime conducens ad disciplinam; estque sensus objectum audibile percipiens, nempe sonum. Sonus est qualitas ex collisione plurium corporum solidorum excitata in aëre aut aqua. Sonus ab animalis ore editus, sive articulatus sive inarticulatus sit, dicitur proprie Vox. Sonus geminatus sive reflexus dicitur Echo; fitque ex refractione aëris in loco aliquo cavo opposito.

Ejus objec-
tum Sonus.

Echo.

Sonidivisio-

Organum.

Medium.

Quomodo
fit.

Sonus acutus est, aut gravis; acutus, qui celeriter organum ferit; gravis, qui tardius. Organum Auditus sunt aures; ministri autem, nervi auditorii et aër innatus in tympano auris.

Medium Auditus est partim internum, aër scilicet receptus in organo; partim externum, aër scilicet vel aqua intermedia.

Quomodo
fit.

Auditio fit, percutso a solidis corporibus aëre externo, qui aërem proximum subinde ferit, et sonum continuat dum ad aurem perveniat, ubi a vernaculo aëre acceptus in nervum auditorium transmittitur.

§. 6.
Olfactus
quid.

Olfactus est sensus odorabilis percipiens. Hic sensus in homine omnium debilissimus est; acrior multo in canibus, suibus, vulturibus &c. Ejus objectum est odor, qui est qualitas orta ex sicco et sapido debite contemperato cum humido, et a calore educta. Proinde corpora simplicia aut mista insipida odore carent. Odores aut extremi sunt, dulcis scilicet et amarus, aut intermedii.

Finis.

Finis olfactus praecipuus est, ut alimenta a non alimentis discernantur: Odores tamen et alios etiam usus habent, confortant enim cerebrum, et spiritus reficiunt. Nutriendi tamen vim non habent.

Organum.

Organum olfactus sunt Nares, praesertim superior earum pars, quae inter calvaria est; ministri tamen sunt Nervi mollissimi summo narium ossi conjuncti.

§. 7.
Gustus
quid.
Ejus ob-
jectum.

Gustus est sensus objecta gustabilia percipiens. Gustus non est sine Tactu; tamen differt objecto et organo. Objectum Gustus est sapor; qui est qualitas generata in corpore mixto a sicco terrestri cum humido aquo per calorem. Sapores aut extremi sunt, dulcis scilicet et amarus; aut intermedii, quorum

multae sunt species, praecipue tamen quinque; salsus, acer, austerus, acerbus, acidus. Organum Gustus est Lingua, Organum. praesertim radices ejus. Medio externo Gustus non indiget, quia humidum, in quo sapor est, sine Tactu percipi non potest; Medium vero internum est caro Linguae fungosa et humidum Medium. salivale. Sapidum, scilicet si sit actu humidum, facile imprimit saporem suum Linguae; sin siccius fuerit, comminui prius necesse est et cum humido salivali permisceari, quam sapor ejus percipi possit.

Tactus est omnium sensuum maxime ignobilis, est tamen in homine propter perfectionem temperamenti exquisitus; estque ^{§. 8.} ^{Tactus} ^{quid.} Sensus objecta tactilia percipiens. Ejus sensorium est caro; ^{Ejus sen-} Medium vero internum, externo enim non indiget, cuticula per ^{sorium.} totum corpus animalis diffusa. Instrumentum Tactus sunt nervi per totum corpus animalis dispersi, qui quo plures sint aut subtiliores, eo Tactus exquisitior. Objectum Tactus sunt quatuor Objectum. primae qualitates, aliaeque tactiles secundae, quae ab illis oriuntur, ut Asperitas, Laevitas, Durities, Mollities, Ariditas, Lubricitas, Lentor, Friabilitas, et siquae sunt aliae ejusdem generis.

Quaestiones Capitis Noni.

1. De numero Sensuum externorum.
2. De nobilitate Sensuum comparata.
3. De necessitate Sensuum.
4. De Visu, et ejus organo et medio.
5. De Auditu.
6. De objecto et medio Auditus.
7. De Gustu.
8. De objecto et medio Gustus.
9. De Olfactu.
10. De objecto et medio Olfactus.
11. De Tactu.
12. De objecto et medio Tactus.
13. An Gustus a Tactu differat?

CAP. X.

De Sensibus internis.

SENSUS interni sunt, qui sensibilium rerum species, etiam ^{§. 1.} absentium, percipiunt, et dijudicant. Horum sedes est in ^{Sensus in-} ternus.

§. 2.
Quot sunt. cerebro: unde et nervorum principium. Sensus interni sunt tres: Sensus Communis, Phantasia, et Memoria. Quorum Sensus Communis sedet in anteriore cerebri parte sive ventriculo, ut qui propter humiditatem aptissimus est ad conservandum species.

§. 3.
Sensus Communis. Sensus Communis omnium exteriorum Sensuum species apprehendit, atque a se invicem discernit; ad quem omnes exteriores Sensus suorum objectorum species, velut ad communem judicem deferunt: hujus actiones, laeso cerebro aut temperamento ejus immutato, laeduntur etiam et impediuntur.

§. 4.
Phantasia. Phantasia species rerum sensibilium, aut a Sensu Communi acceptas, aut a se per similitudinem earum formatas, retinet et diligentius examinat. Phantasia enim, praeter sensibilia ei aliunde communicata, imagines rerum ex sua quadam propria vi effingit, idque saepenumero levissimis de causis sine ulla rei commercione; ut in Phreneticis, aliisque aut laesa mente aut gravi morbo laborantibus, contingit. Phantasiae magna vis est non solum ad actus intellectuales, sed etiam in res corporeas, in quibus reales effectus sine aliqua notabili externa causa producit; atque ex hujus temperamento vario potissimum dependet multiformis illa ingeniorum varietas.

§. 5.
Memoria. Memoria, velut Animae Thesaurarius, species sensibiles judicatas a Sensu Communi, atque a Phantasia cogitatas, tanquam in deposito servat. Memoriae objectum sunt res tantum praeteritae: ei contrariatur Oblivio. Memoria, si ex objecto aliquo praesenti revocetur in cognitionem ejus quod prius retinuerat, nec tamen in promptu erat, Recordatio dicitur, sive Reminiscentia. Memoriae tenacitas et lubricitas dependet potissimum ex temperie Cerebri.

§. 6.
Somnus. Animalibus gratia facultatis sensitivae competit, tanquam effectus ejus, Somnus et Vigilia. Somnus a natura institutus est ad animalium quietem et spirituum refectionem, qui motum et actionem sensuum torpent. Estque ligatio omnium Sensuum exteriorum, atque etiam Sensus Communis, a suis actionibus: Memoria tamen et Phantasia, ut et facultates rationales in homine, non ligantur. Somnus contingit ex detentione spirituum, et obstructione meatuum per quos spiritus a cerebro ad sensoria externorum sensuum devehendi erant; oppletis scilicet radicibus nervorum vaporibus ascendentibus e ventriculo in caput. Multa tamen alia ad somnum conducunt, ut

Unde fit.

labor, defatigatio, nimia repletio aut evacuatio, tenebrae, aliaeque plurima.

Somni passio est Somnium, quod est visum abortum ex ^{Ejus passio} reliquiis specierum in vigilia perceptarum, atque in Phantasia et Memoria conservatarum. Ea plerumque se habent prout Phantasia vel recte valet, vel affecta est. Somnia aut Animalia dicuntur, aut Naturalia. Animalia, quae oriuntur ex imaginatione rerum, citra quas nihil multum intentum fuit per diem. Naturalia, quae ex affectione corporum et temperamentorum et humorum oriuntur, suntque analoga humori praedominanti. Unde sunt Somnia melancholicorum, tristia; sanguineorum, jucunda; phlegmaticorum, ignava; cholericorum, furiosa.

Somnia nonnunquam supernaturaliter a Deo mittuntur, aut a malis spiritibus subjiciuntur. Somnia nec sunt omnia temere negligenda, nec nimium superstitiose observanda *.

Quaestiones Capitis Decimi.

1. De Sensibus internis in genere.
2. De Sensu Communi.
3. De Phantasia.
4. De Memoria et Reminiscentia.
5. De Somno et Vigilia.
6. De Somniis ex causa naturali.
7. De Somniis ex causa supernaturali.
8. De Divinatione per Somnum.

CAP. XI.

De Appetitu et Motu.

APPETITUS est vis Animae sensitivae, qua animal fertur ad ea persequenda quae Sensus judicaverint esse bona, atque declinanda contraria. §. 1. ^{Appetitus quid.}

Appetitus semper fertur in bonum, quod aut vere tale est, aut saltem apparenter. Appetitus duplex, Concupiscibilis, qua animal fertur ad bonum jucundum; Irascibilis, qua fertur ad

* Compare Sermon vi. ad Populum, §. 4.

bonum difficile. Ex his varii oriuntur effectus,* qui et Passiones vocantur; et in homine, quum sint inordinati et rationem perturbant, Perturbationes.

§. 2.
Affectus
et ejus
species.

Affectus sunt motus cordis excitati ab apprehensione objecti, quibus illud aut persequuntur aut fugiunt. Affectus qui oriuntur ex apprehensione objecti jucundi, et propterea fovent naturam animalis, dicuntur boni; suntque Laetitia, et Spes: quorum Laetitia est de bono praesenti, Spes de futuro bono. Affectus qui oriuntur ex apprehensione objecti ingrati, et propterea laedunt naturam, dicuntur mali; suntque Tristitia et Metus; quorum Tristitia est de malo praesenti, Metus de futuro. Ex horum Affectuum simplicium varia mixtione oriuntur Affectus mixti, qui malis potius accensendi sunt quam bonis: quales sunt Ira, mixta ex tristitia et spe; Odium, quae est ira continuata; Zelus, ex amore et ira mixtus, vel ex amore et timore; Ἐπιχαιρεκακία, ex odio et lactitia mixta; atque etiam Invidia, Affectus ex odio et tristitia.

§. 3.
Motus.

Motus est vis animae sentientis, qua animal aut secundum se totum, aut aliqua saltem parte sui, de loco in locum moveri potest. Principium locomotionis remotum est Cognitio; proximum Appetitus. Finis est objectum appetibile, appetitu scilicet vel persequente vel fugiente. Instrumenta motionis sunt organa corporea: in animali praesertim caro musculosa, quae aptissima est contrahi et extendi.

Motus pro differentiis animalium varius est: in terrestribus gressus dicitur, in volucribus volatus, in aquatilibus natatus, in serpentibus reptatus.

§. 4.
Respiratio.

Inter motus certarum partium nobilissimus est qui Respiratione dicitur: qui est motus thoracis et pulmonum gratia aëris inspirati et exspirati, propter refrigerationem cordis et refectionem spirituum. Respiratio fit per attractionem aëris interni, quo per arteriam vocalem defertur ad pulmones, qui dilatando sese et contrahendo aërem attractum instar follium ad cor immittunt, et mox a corde calefactum ejiciunt. Hie Motus partim est voluntarius, partim naturalis.

* ‘effectus.’ So in both Editions. Quaere, ‘affectus.’

Quaestiones Capitis Undecimi.

1. De Appetitu in genere.
2. De Affectibus simplicibus bonis.
3. De Affectibus simplicibus malis.
4. De Affectibus mistis.
5. De Motu Animalium progressivorum.
6. De Respiratione.

CAP. XII.

De Anima rationali.

ANIMA rationalis, quae et Mens, soli homini propria est, subjectum incorporeum corpus humanum informans, operationes suas exercens sine corporeo organo. Unde et Potentia inorganica dicitur. Anima rationalis non est ex traduce; sed infundendo creatur, et creando infunditur; nec perit ut reliquae formae mere naturales ad corruptionem corporis, sed immortalis manet etiam separata a corpore. Anima, modo ineffabili, et secundum essentiam et secundum potentias suas, tota est in toto, et tota in qualibet parte; sed tamen ejus praecipue sedes est cor.

Facultates Animae rationalis sunt duae, **Intellectus** et **Voluntas**: Intellectus objectum est verum et falsum, Voluntatis bonum et malum. Intellectus est potentia Animae rationalis species intelligibiles percipiens et dijudicans. Intellectus intelligit seipsum per nudam reflexionem; reliqua vero omnia, sive materialia sive immaterialia, sive universalia sive singularia, per species suas sive phantasmata, quae efformata in phantasia et ad intellectum quasi transmissa, ab eo recipiuntur et intelliguntur. Unde illud Aristotelis, ‘Necesse est intelligentem speculari phantasmata.’ Hinc sequitur intellectionem partim passionem esse, quatenus species intelligibiles recipit; partim actionem, quatenus eas actu intelligit et dijudicat: proinde illa divisio Intellectus in Agentem et Patientem, non est ejusdem generis in diversas species, sed ejusdem rei in diversos modos.

Intellectiva facultas describitur secundum triplicem actum; quorum primus est simplex, reliqui compositi. Primus actus

dicitur Apprehensio rerum simplicium, qua simplices rerum notiones cognoscuntur. Secundus actus dicitur Compositio et Divisio, qua res aut componendo, ut in affirmativis, aut dividendo, ut in negativis, conjunctim disponuntur; atque in hoc actu est judicium veri et falsi. Tertius actus dicitur Discursus, quo ex collatione diversarum propositionum, aliquid discurrendo colligitur, sive inferendo id fiat, sive ordinando; atque in hoc actu est consequentiae et inconsequentialiae judicium, atque item ordinis et confusionis.

§. 4.
Intellectus
species.

Intellectus aliis est speculativus, aliis practicus. Speculativus dicitur, qui res intelligit propter solam cognitionem. Practicus, qui res intelligit propter opus. Ab Intellectu speculativo dependent habitus et actus theoretici; a pratico practici, a quo etiam et Voluntas in suis actionibus praecipue dirigitur.

§. 5.
Voluntas
quid.
Objectum.

Voluntas est facultas Animae Rationalis, qua homo eligit vel aversatur objecta intellecta secundum dictamen intellectus practici. Objectum Voluntatis est bonum et malum, utrumque aut verum aut apparenſ. Bonum respectu Volitionis, Malum respectu Nolitionis, quae sunt duo actiones Voluntatis. Voluntas est libera de modo, a coactione; quidquid enim vult aut non vult, libere vult aut non vult: quae facultas dicitur Liberum Arbitrium. Actiones Voluntatis aut imperatae sunt aut elicite. Actiones elicite sunt, quas Voluntas propria sua vi in se et per se elicit, ut sunt ipsum Velle et Nolle: Imperatae sunt, quas Voluntas imperat fieri per inferiores potentias animae sensitivae, ut edere, ambulare, &c.

Quaestiones Capitis Duodecimi.

1. De Origine Animae.
2. De Immortalitate Animae.
3. De Immortalitate secundum Aristotelem.
4. An Anima sit tota in toto, et tota in qualibet parte?
5. De Objecto Intellectus adaequato.
6. An Intellectus intelligat semetipsum?
7. De ordine Intelligendi.
8. An Intellectus sit potentia inorganica?
9. De Phantasmatibus et speciebus intelligibilibus.
10. De Intellectu agente.

11. De modo intelligendi animae separatae.
12. De triplici actu Intellectus.
13. De Intellectu speculativo et practico.
14. De objecto Voluntatis.
15. De libero Arbitrio.
